Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0001-3

Liber
Bibliothecæ Academicæ Halenſi
a
CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,
Med. Doct. & Practico
Berolinenſi,
TESTAMENTO DONATUS.
1729.

X ii 8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0002-9

# ANATOMIA
# PÆONIÆ,

IN QUA

NATALES ET QUALITATES PÆONIÆ, ITEMQUE PRÆPARATIONES ET MEDICAMENTA EX EA VARIA CUM VIRTUTIBUS ET USU AD PLURIMOS HUMANI CORPORIS AFFECTUS EXHIBENTUR.

*Autore*

JACOBO AUGUSTINO
HÜNERVVOLFFIO, Medic. Licent. & Practico.

*ARNSTETI,*
TYPIS HENRICI MEURERI,
M. DC. LXXX,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0003-4

*Remediæ, naturæ munera, non oſten-
dere, & in arcanis habere non
decet, perſidiæ atq; invidentiæ
crimine manifeſto.*

ALEXANDER BENEDICTUS.
Aphor. l. 1. c. 1.

Τοῦ Θεοῦ Χειραγωγοῦντος.

# PROŒMIUM.

SI deliciarum causâ regnum intramus amænum vegetabilium, & oculos aperimus, in eo tot præclara munera, atque ſecreta auxilia nobis offert providiſſima mater Natura, ut ea admirari, & ſapientiſſimum rerum omnium Conditorem ſuſpicere omninò habeamus neceſſum.

Inter alia ſe oſtentat *Sambucus* in ſalice naſcens, cujus fruſtula feliciter contra epilepſiam de collo feruntur pendula. vid. *Thom. Bartholinus*, *Centur. 4. Hiſtor. Anatom. 69.*

Incantamenti inſtar narium hæmorrhagiam ſiſtit *radix Nigellaſtri* lingvæ ſubdita, ut videre eſt *ex Quadripart. Botan. Simon. Pauli, Claſſ. 2 pag. 94.*

Verbena viridis, de collo ſuſpenſa, mirè ſanat dolorem capitis. vid. *Foreſtus libr. 9. Obſerv. 25.*

*Polygonum* ſub axillis poſitum, jucundè ſolet compeſcere fluxum hæmorrhoidalem, de quo *Ephemer. Germ. Ann. 3. Obſerv. 23.*

Nec deſunt herbæ vi & naturâ mirabiles in terris remotis; qualis illa eſt herbula, in Malacca & Continentis quibusdam Indiæ locis creſcens, quæ oſſa animalium adeò firmat ac roborat, ut ſi ejus ſucco ſolummodò dentes imbuantur ſilicem in pollinem redigere poſſint. vid. *Iacob. Bontius lib. 5. Med. Indor. cap. 33.*

E contrariò naſcitur in Norwegia *herba Oſſifraga*, ab Incolis **Been graas** vocata, ita emolliens oſſa jumentorum, quæ illâ veſcuntur, ut ad ambulandum penitus reddantur inepta. Nihilominus conficitur ex eadem ungventum pro glutinandis oſſibus, ut teſtantur *Ephemer. Germ. Ann. 1. Obſerv. 38.*

De radice arboris J*acæ* hoc occulti memorat India, quòd aphthis puerorum & febri ſalutifera apponatur medela. *E. G. A. 3. Obſ. 294.*

Plura ejusmodi alia commemorare ſuperſedebimus, & in *Pæoniam* conjiciemus oculos, cujus radice collo appenſa puerum quendam à terribili morbo, epilepſiâ, felici eventu liberavit *Galenus lib. 6. de ſimpl. med. facultat.* Hanc non facietenus intuebimur tantùm,

tùm, ſed & naturam, vires & facultates, nec non uſum ejus in medicina ſaluberrimum contemplabimur.

Hoc ut præſtare valeamus, Divini Numinis imploramus auxilium.

# Caput I

## Nominalem Pæoniæ definitionem proponit.

CUm nomina rebus explicandis præmittere conveniat, ὀνοματολογίαν præfigemus, & ponemus

I. ETYMOLOGIAM. Pæonia Græciæ ortum ſuum debet, & dicitur Græcè παιωνία, ἀπὸ τοῦ Παιῶνος, præſtantiſſimo Medico antiquo Pæone, qui vulnera Plutonis ab Hercule inflicta juſſu Jovis ſanaviſſe dicitur, *Homer. Iliad. 5.* Sive ab illo, qui apud *Ovidium lib. 1. Metamorph.* ita loquitur:

Inventum Medicina meum eſt, Opiferque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Sive ab illo, quem Delphi Incolæ ſanitatem precantes invocarunt his verbis:

Ἰὴ Παιάν, Sana Pæan.

II. HOMONYMIAM. In hac occurrit ambiguitas quædam. 1. Ungaria, regio

 gio

gio illa opima, & nulli fertilitate ſecunda, à rege quodam Macedonum, Pæonis nomine, dicta fuit Pæonia ſive Pannonia, prout tradit *Hoffm. lib. 2. de Med. Officinal. c. 167.* Hinc populi ejus vocari etiam ſolent Pæones.

*Adam Olearius lib 1. c. 22. de India Orient.* peditum meminit haſtatorum, & ſagittipotentium, qui à peregrinantibus in India conducti exiguâ mercede famulantur, & dicuntur Pionen. Piones autem Aſiatici fuere populi, & haud dubiè è Myſia Aſiæ illuc migravere, ita dicti ab urbe Pionias, quam condidit Pion. vid. *Lexic. ling. lat. Calepini, in Onomaſt. propr. nom. lit. P.*

2. Ars medica à Pæone Medico, inventore ſuo, Pæonia dici ſolet.

3. Notavit *Aëtius tetrabibl. 4. ſerm. 1. c. 102.* antidotum, in defluxionibus ſanandis peculiarem, & veteribus valdè famoſam vocabulô παιωνίας.

4. Catapotium (medicamentum, quod juxta *Scribonium Largum cap. 87.* non diluitur, ſed ita ut eſt devoratur, ab *Hippocrate* γογγύλιον ſive γογγυλίδιον appellatum) ex myricis fructu & galbano compoſitum, nomine *Andrea* Παιόνιον vocari ſcribit *Galeno lib. 9. de loc.*

5. Tandem inter alias herbas, quibus olim Pæon Parcarum oravit penſa breveſque

colos,

colos, cùm pæonia fuerit præſtantiſſima, hoc accepit retinuitque nomen. Cujus hiſtoriam expedituri cognoſcemus

III. SYNONYMIAM. Ubi multifariam audit. A Græcis vocatur παιωνία. A *Dioſcoride lib.3. Herb. c 48.* γλύκυσις, γλυκυσίδη, obſimilem in malis punicis dulcorem, teste *Theophraſto.* Glycyſulam vocat eam *Monhemius tom.2. lib.2. de plant. cap 15. Theodorus Gaza ſuper Theophraſt. lib.9. hiſtor. c 9.* Dulciſidam interpretatur. Has nomenclaturas ceu barbaras rejicit, & *Gazæ* verſionem ineptam dicit *Hoffmannus l.c.*

Occurrit etiam apud *Dioſcoridem, Apulejum,* & alios vocabulum Σεληνόγονον, quod idem eſt, ac genitura lunæ. Idem Σελήνιον quòd corniculatæ lunæ ſpeciem involucra ſeminum referant.

Plura alia à *Trago* aliisque obſoleta traduntur nomina, quorum unum & alterum hîc tantùm adduxiſſe ſat erit.

Δάκτυλος Ἰδαῖος nominatur præcipuè fœmina, eò quòd ejus radices ſubitò quaſi in digitos quosdam dividantur. vid. *Hoffm l.d. Dodonæus Hiſtor. Stirp. p 194.* Dactylos vocari tradit ob formam æqualem: vel ut *Marcell. Virgil. in Commentar. ad Dioſcoridem lib. 3. c.139.* vult, ob parem virtutem dactylorum,

rum, qui Jovis nutrimentum, gemmæque ſacræ precibus exoratæ à gentilibus, fuiſſe perhibentur.

Aglaophotis, h. e. ſplendor lucis ab Apulejo & Dioſcoride dicitur, cùm ſit pulcherrima herba, nec tàm pulchrô nomine indigna. Nullo tamen nocturno lumine nobilem eſſe, quod de maſculæ granis olim dicebatur, refert *Geſnerus in Commentar. de Lun. Herb. & Reb. Noct. Luc. pag. 25.*

Ephialtiam *Aëtius* dicit, quòd gravi affectui, Ephialtei ſive incubo, epilepſiæ vel apoplexiæ triſti medeatur nuntio. vid. *Hoffm. lib. 3. Inſtit. Med. c 90. p. 430.*

Lunarem ſive Lunariam *Dodonæus* vocat, quod morbo ſecundum lunæ converſiones invadenti, epilepſiæ opituletur.

Cynoſpaſtum *Plinius lib. 21. c. 17.* hac ratione appellitat, quia à cane famelico alligato radici funiculo prolectoque debeat evelli, de qua hiſtoria videatur *AElianus lib. 14. c. 24. & 27.*

*Flavius Ioſephus lib. 7. c. 20. de Bello Iudaico* vocem habet Baaras, quâ pæoniam deſignat *Dodonæus l. c.* Volunt autem Baaras ortum ducere ab Hebraico verbo בָּעַר arſit, aut quod aſphaltum, ſive aquæ fervidæ in loco ejus natali ſint; aut quod herba nocturnô ſplendore veluti ardeat. No-

Nobis *Germanis* dicitur Pατönge. Gichtroſe. Pfingſtroſe. *Danorum* dialecto audit Pionroſe. A *Bohemis* ſalutatur Piwonka. A *Belgis* Pioenen. Ab *Anglis* Peionie. A *Gallis* Pivoine, Penœſne. Ab *Italis* la Peonia. Ab *Hiſpanis* Roſa del monte, Roſa albandeira, Albardera.

# Caput II

## Definitionem realem ſuppeditat.

Abſolutâ nominis indagine, nunc realem definitionem Pæoniæ cum differentiis trademus.

Pæonia eſt herba, exſurgens à radice craſſa, longâ, bifida vel trifida, in glandes diviſa in fœmina, ſucculenta, odore & ſapore acri prædita, intus candida, caule rubeſcente, ſurculoſo, ſeſquipedem alto, foliis juglandis, floribus roſam magnam puniceam æmulantibus, ſemine rotundo rubro in ſiliquis lanuginoſis referentibus cornicula luteis apicibus ſenſim purpuraſcente, multifariis medicorum uſibus inſerviens.

Herbam diximus eſſe pæoniam, quia foliata ſine caudice quidem, ſed cum caule creſcit à radice, cauleque ſingulis annis ſemen profert.

Differentia tùm ab aliis herbis, tùm à propriis ſpeciebus facilè pateſcit, ſi botanici conſulantur ſcriptores, noſtrique ſimul adhibeantur ſenſus.

In omnibus ferè herbariis duæ in marem & fœminam diviſæ reperiuntur ſpecies.

Mas agnoſcitur, & à fœmina diſtingvitur 1. radice palmô longâ & digito craſsâ unicâ, rectâ & profundè in terram deſcendente, poſteà verò inæqualiter ramificante. Fœmina autem plures in radice nigra propagines habet, ſubitoque quaſi in digitos quosdam dividitur. vid. *Remb. Dodon. hiſt. Stirp. pempt. 2. libr. 1. cap. 32.*

2. Differunt à ſe invicem caule & foliis: in mare enim caulis & foliorum pediculi rubent, ipſaque folia ſunt juglandis folia lata ex pluribus commiſſa, quamvis juxta Dodonæum non tàm multa ad unum nervum aut ἄξον ut in juglande cohæreant. Ab aquila botanicorum, *Bauhino*, hæc ſpecies primaria exhibetur foliô nigricante ſplendido. In fœmina verò caulis parum aut nihil rubet, foliaque helleboro albo ſimilia, laciniata & anguſtiora quàm in mare reperiuntur. *Dodon. l. c.*

3. Floribus diſtinguuntur, namque mas florem magis purpureum, ſive ſangvineum emittit, at fœmina pulchrè quidem, plerumque

que tamen dilutius rubet. vid. *Matthiolus*, *Tragus*, & alii.

4. In ſemine orbiculato utriusque ſpeciei nulla ferè occurrit diſcrepantia, niſi quòd fœmellæ, & plenô flore quædam parcè admodum & tardè ſemen proferant; maſcula verò promptius.

5. Florum ſimplicitas & plenitudo, itemque color varius, pro loci ſcilicet genio & temporis mutatione, plures conſtituunt pæoniæ differentias.

Marem & fœminam flore ſimplici exhibent *Bauhinus*, *Cluſius*, & alii.

Peculiarem fœminæ ſpeciem flore ſimplici depingit *Dodonæus l. c.* quæ III eſt apud *Bauhinum*, foliis in virore candidioribus, & aversâ parte etiam albidioribus, floribus minoribus dilutiusque rubentibus, radicibus glanduloſis longioribus & tenuioribus, quàm in priori Autoris fœmina. Hæc referente *Penâ*, mare nondum reperto, à nonnullis pro mare habita, & neutra ſive promiſcua, quaſi utriusque particeps eſſet, ſalutata fuit. Si enim quantum ejus è terra adoleſcit aſpicias, marem dicas; ſin evulſas radices, fœminam judices, niſi quòd pleniores & habitiores ſint.

Pæoniam Byzantinam flore admodum rubro inſtar minii *Cluſius in Obſerv. Pannon.* affert,

affert, quam Turcæ, referente *Camerario*, ſatis ὁμονύμως Schakaik appellant.

Byzantina altera *Cluſii* fert florem dilutè rubentem ſimplicem.

Altera *Camerarij* flore pleno dilutiore & minore, foliis non ita caducis, rarior eſt.

Fœmina flore pleno rubrincarnato reperitur in Horto *Eyſtetenſi*.

Pæoniam fœminam polyanthos *Lobelij* Belgij, hortos ſpecioſo florum incremento, qui duplicatione & fœtura, uti papavera, maximum altheæ hortenſis florem æqvant, & interdum ſuperant, exornare teſtatur *Hiſtor. plantar. gener. Lugdun. l. c.* Quam ſpeciem fortè ex Hiſpania allatam, & primùm Antverpiæ duodecim coronatis unicam emptam fuiſſe tradit *Camerarius* in Horto. Jam verò tanti non æſtimatur, quia ferè in omnibus hortis præcipuis reperitur. Admirationem habet, quod in elegantiſſimo uno ejusmodi flore quingenta folia majora & minora aliquando numerata fuerint.

Pæonia Hiſpanica ſive Pumila, tàm foliis, quàm floribus exiguis, nigroqúe admodum ſemine modò citatus Autor *l. d.* in medium ſiſtit, quæ apud *Cluſium* III eſt.

Pæonia fœmina exalbido flore pleno, die Fleiſchfarbene VI *Cluſii* eſt.

Pæonia Ochranthemos, i. e. flore palleſcente,

te,& Leucanthemos, i.e. flore candicante, non tamen planè albo, in ante memorato exhibentur horto.

Pæoniam flore albo deliniat *Tabernæmontanus lib. 2. de Herb. cap. 46.*

Pæoniam floribus albis produci in Ida, monte Inſulæ Cretæ, vulgoque vocari Pſyphedilam, *Bellonius lib. de memorabilibus* refert.

*Dodonæus* radicem Baaras pæoniæ maris ſpeciem eſſe voluit, quam *Thomas Bartholinus lib. 1. de luc. animal.* aut *Plinii* nyctegretum, aut illi ſimilem eſſe credit, lucentemque appellat, *lib. 21. cap. 11.*

Nonnulli grana illa coccinea elegantiſſima duriſſimaque, nigrâ maculâ inſignita, quæ ex India ad nos mittuntur nominibus Ginge & Abrus, & non tàm in puerorum dentitionibus, febribus & ſpaſmis uſurpantur, quam ad ornatum interjectis parvis unionibus è collo & brachiis à formis nobilibus geſtantur, propter ſimilitudinem quandam pæoniis annumeravere, iisque pæoniæ Indicæ nomen impoſuere. Verùm cùm ſimile non ſit idem, & piſi Americani figura in *Hiſtor. Plant. Lugd.* de his teſtetur, ea pæoniarum ordine meritò excludimus.

CA-

# Caput III

## Veram pæoniam marem producit.

INnotuit ex præcedentibus utriusque pæoniæ ſpeciei diverſitas; hinc nemo facilè fidem dabit *Theophraſto*, qui *lib 9 de Hiſtor. plantar.* unum tantùm pæoniæ genus eſſe contendit.

Scire autem convenit, quænam ſit pæonia maſcula vera, tàm anxiè à medentibus quæſita? Hanc *Dioſcorides lib. 3. pag. 134.* dicit unâ conſtare radice, quod veriſſimum, omniumque qui de pæonia ſcripſerunt teſtimonio comprobatum eſſe notavit *Bodæus à Stapeln, Comment. in lib 9. Hiſt. Plantar. Theophraſti Ereſii, pag. 1048.*

*Plinius* aliud perſvadere conatur. Inquit enim, mas plures habet, quoniam non unâ radice nixus eſt. Comperimus autem falſam eſſe hanc Plinianam lectionem, quæ negatione tantùm tranſpoſitâ hoc modo emendari debet: mas plures non habet, quoniam unâ radice nixus eſt. vid. *Hiſtor. Plant. Lugd. pag. 857.*

In hac ſpecie *Dioſcorides* obſervat caules & pediculos rubentiores, foliaq; nuci juglandis

His ſimilia ex quinque ſolùm, & ſubinde ex tribus commiſſa, quæ juxta *Stapelium l. c. pag.* 1044. latitudinem quatuor digitorum habent. vid. *Flora Marchica Elsholtii pag. 158.* Item *Hort. Reg. Bleſens. Rob. Moriſoni, pag. 150.*

In eadem magnæ purpureæ in ſummo caulium ſuperbiunt roſæ, ſtaminaque ſunt in medio etiam purpurea, ex quibus lutei dependent apices. Siliquæ reperiuntur ibidem inſtar nucis Græcæ, foris lanuginoſæ, quibus per maturitatem apertis, grana coccinea nigra, Ochri ferè magnitudine in conſpectum veniunt, interprete *Dodonæo Stirp. Hiſtor. pempt. 2. l. 1. cap. 32.*

Excellentiſſimus D. D. *Wedelius*, Academiæ Salanæ, & N. C. lumen & ornamentum, ex horto Vinarienſi veram hanc pæoniam marem, notis Dioſcorideis conformem accepit, meq; illius ex ſingulari favore fecit participem.

Seceſſionem à nobis facit *Hieronymus Tragus*, cùm *lib. de Herb. c. 200.* fraxinellam ſive dictamnum album officinarum pæoniam marem dicit.

Eum imitatur *Ioh. Langius*, inquiens *lib. 1. epiſt. med 74.* quoniam natale ſolum pæonia maſcula, ſupra montium vertices, & intra ſcopulos (quos ignavos conſcendere medicos

dicos tædet) ſibi collocavit, medicis diu ignota fuit: donec ſtudio & operâ medicorum Germaniæ, hanc vulgare eſſe noſtrum dictamnum comperimus.

Verum enim verò celeberrimi illi viri placidum hoc ſuum infirmô probandi mediô ſtabiliunt. Si enim perpendamus fraxinellæ radicem ferè inodoram, ſaporeque adſtringenti deſtitutam: ſi caulem absque adnatis aſperum, foliaque poſitione quadruplo minora ſerrata, & hircum penè olentia: ſi flores odore citrei & arantii pomi, ſiliquasque ſcabro exterius cortice: ſi denique ſemen ejus leve pellucidumque, omninò ipſam pæoniæ mari non quadrare comperiemus. vid. *Hoffm. lib. 2. de Med. Offic. c. 82. Stapel. l. c. p. 1134. Hiſtor. Plant. Lugd. lib. 7. cap. 43.*

# Caput IV

## Locum natalem, collectionem, & electionem pæoniæ exhibet.

NAſcitur Pæonia in montibus altiſſimis, aſperis, præfractiſque umbroſis, teſtibus *Dioſcoride, Plinio.*

Viſa

Viſa fuit eadem in alpibus Cretæ & Siciliæ, teſte *Apulejo*.

Candidam, montis Idæ progeniem, annotavit *Bellonius*.

In Arabiæ marmoribus Perſici lateris egregiam ſpeciem, Marmoritim vocatam germinare, *Ælianus* ſcribit.

Pæoniam marem, quam Mompelii lunariam appellant, in Averniæ montibus reperiri, foliis, ſiliquis, ſeminibus ac radicibus pæoniæ fœminæ pulchrè congruentem: gigni itidem veram maſculam in montibus propè Comum & Larium lacum, ait *Geſnerus in Commentar. de raris & admirandis herbis pag. 55.*

Marem cum fœmina, vere & æſtate florentem, Genevæ Alpinis & Narbonæ arduis Veganii culminibus, ibidemque ſylvoſis, non procul ab alio celebri monte Lupi dicto ſe eruiſſe; notiorem tamen fœminam illam in hortis, uſusque frequentioris ibidem populo eſſe *Pena* enarrat.

Ex ſolo remotiori propagata nunc hortos ubivis locorum exornat. Uſitatiſſima autem eſt vulgaris fœmina; quamvis haud rarò etiam plantetur mas, qualem inprimis verum Lindaviæ in mercatoris cujusdam horto omni plantarum genere inſtructiſſimo, foliis ternis binisve juglandium ſimilibus, &

granis rubentibus in ſiliquis ſe vidiſſe commemorat *Geſnerus l. c.*

In Principali horto Vinariæ, marem etjam floruiſſe verum, antè diximus.

Hortus Medicus Altdorffinus, Inclutæ Reipublicæ Norinbergenſis beneficiô adornatus, & ſub inſpectione Excell. D. D. *Mauritii Hoffmanni*, P. P. & Botanici celeberrimi hactenus conſervatus, innumeros inter totus quos parturit orbis flores, quos oculis licuit decerpere quondam, non manibus, diverſas utriusque generis protulit pæonias, de quibus vid. *Catalog. Plantar. Hort. Med. Altdorff. Maur. Hoffm.*

In collectione Pæoniæ tempus conveniens obſervandum eſt, non enim ſemper bonum eſt, inquit *Paracelſus Tract. 1. Philoſ. p. m. 309.* herbas colligere, fructus decerpere, & radices eradicare, cùm diverſa ſint anni tempora, & pro diverſitate illorum vires vegetabilium nunc augeantur, nunc minuantur.

Hinc Pæonia, & omnes plantæ balſamicô ſuô tempore in uſus medicos decerpendæ ſunt, hoc eſt, quando ipſarum qualitates maximè vigent, atque colore, odore & ſapore nobis ſe commendant, monente *Schrödero Pharm. Med. Chym. lib. 3. c. 23.*

Flores Pæoniæ menſe Majo, cùm explici-

ti

ti pulchritudine ſuâ luxuriant, nec tamen marceſcunt, commodiſſimè leguntur. Autumnô matura ejus ſemina nonnihil ſicca, nec excuſſa colliguntur.

Eodem anni tempore nonnulli etiam radices effodiunt, cùm nempe herba perit, & vis in radices deſcendit, quod *Dioſcoridi* non videtur eſſe adverſum, inculcanti, radices herbarum colligendas eſſe, cùm folia decidere incipiunt. Quamvis alii malint radices colligere, quando vigorem & maturitatem aſſecutæ ſunt plantæ, credentes, has cum illis ſimul vigere & maturari. Notandum verò eſt, radices alias, quæ fiunt maturitate lignoſæ, eruendas eſſe, antequam matureſcant: alias verò, quæ maturæ fiunt citra priorem mutationem, (quo in numero radix eſt pæoniæ,) colligendas eſſe, ubi maturuerint. Vid. *Schröder. l. c.*

Aſtrologi, Medicique non inferioris ſubſellii, cùm in rebus aliis, tùm in radicis pæoniæ collectione, ſiderum conſtellationes & influentias diligenter obſervant, multumque dicunt conducere ad ejus proprietates.

Efficaciorem eſſe pæoniam collectam inclinante ☽ in ♈ exiſtente, experientiâ ſua confirmavit D. *Desgrandsvres* apud *Riverium*. Cui Beatus *Rolfincius* ſuffragatur *Meth. med. ſpec. Comment. pag* 641.

D. D. *Wedelius* optimum etiam id tempus putat, ☉ & ☽ in ♈ verſantibus, cum fauſtis inprimis aſpectibus ♃/ ♀ vel ☿ij quoque, ☌, ⚹li, △no.

Veteres pæoniam noctu collegiſſe legimus apud *Plinium lib.9. c.9.* occupati enim vanâ ſuperſtitione verebantur, ne picus martius, pæoniæ cuſtos, obſervans interdiu ejus foſſores, involatu violento læderet ipſorum oculos; neve iisdem procideret anus.

Quæ de Baara, nonnullorum pæoniâ *Joſephus Hiſtor. de bello Iudaico lib.7. c.25* ſcribit, ea ſunt impiâ fraude plena.

Vallis (inquit) qua civitas Machærus à parte ſeptentrionali cingitur, quidam locus Baaras appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem ſimilis eſt colore, circa veſperam verò veluti jubare fulgurans, accedentibus, eamque evellere cupientibus facilis non eſt; ſed tam diu refugit, nec prius manet, quàm ſiquis urinam muliebrem, vel menſtruum ſangvinem ſuper eam fundit. Quin etjam tunc, ſiquis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi forte illam ipſam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo ſine periculo, qui talis eſt: Totam eam circumfodiunt, ita ut minimum ex radice terrâ ſit conditum. Deinde

inde ab ea religant canem, illoque ſequi eum, à quo religatus eſt, cupiente, radix quidem facilè evellitur, canis verò continuò moritur, tanquam ejus vice, à quo herba tollenda erat, traditus. Nullus enim ſpoſteà accipientibus metus eſt. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam, operæ pretium eſt. Nam quæ vocantur Dæmonia, peſſimorum hominum ſpiritus, vivis immerſa, eosque necantia, quibus ſubventum non fuerit, hæc citò, etiamſi tantummodò admoveatur ægrotantibus, abigit. Fluunt autem ex eo loco aquarum fontes etiam calidarum &c. Hactenus *Ioſephus.*

De Cynoſpaſto eadem ridicula narrat *Ælianus lib. 14. de Hiſtor. Animal. c. 27.* quæ ideò efficta, populoque inculcata ſunt, teſte *Trago*, ne temerè quis attingere & proſtituere conetur hoc ſtupendum auxilium.

Fabuloſæ autem antiquitati derogamus omnem in eo fidem, potiusque cum *Dodonæo* credimus, pæoniæ fructus & radices ab omnibus quavis horâ diei noctisve, citra ullum oculorum, vel ſedis, vel etiam ipſius vitæ nocumentum effodi poſſe, & colligi.

Collectæ radices, inque partes oblongas diviſæ, loco puro & ſicco aſſervandæ ſunt, non humido ſqualidoque, ne ſitum contrahant & cariem, ſicque diſpergatur & diſſipe-

tur per poros hiantes virtus balſamica.

Flores in umbra ſiccandi, & arculis ligneis reponendi.

Semen etiam aſſervandum loco ſicco vaſculis ligneis, vel vitreatis.

In electione maſcula vera recens, & decenter ſiccata optima eſt. Quia autem hæc ſæpè haberi non poteſt, ejus locô multi recipiunt fœminam vulgarem, ejusque radices ut gratiores, aut pulveres ex ea compoſiti albidiores evadant, decorticant, quamvis ablutio diligens, & abraſio cuticulæ exterioris ſufficere poſſit.

# CAPUT V

## De

## Temperamento Pæoniæ, & Fundamentis Chymicis.

COnſiderandum nunc venit Pæoniæ temperamentum, quod unanimi Scriptorum confeſſione calidum eſt & ſiccum.

Fundamenta rationis & experientiæ conſenſus id approbant.

De calore non ſolùm color rubicundus in fl re, & coccineus in granis conſpicuus, ſed

ſed etiam ſapor in radice acris & ſubamarus, linguam & fauces non nihil pungens ac titillans, & hic quidem manifeſtè, ille probabiliter teſtatur.

Nec obſtat dulcedo guſtu ſimul perceptibilis, quæ temperatum aliàs temperamentum indicat, à quo tamen deflectit hæc radix in eo, quòd caliditas, in acrimonia ſubamara conſiſtens, frigiditatem in ea ſuperat.

De ſiccitate ejusdem adſtrictio levis, guſtu non minus obſervabilis, teſtimonium fert.

Neque exiguum præbet caloris indicium odor præſertim in radice gravis & exhalationes, quæ non aliunde, quàm à partium tenuitate provenire poſſunt.

Idem comprobant pingves & oleoſæ particulæ, tàm in radice, quàm ſemine conſpicuæ.

Tales Chymici ſolent æquiparare Sulphuri, ut ſapidas, acres, & ſubamaras, dulcesque Sali, & volatiles, quæque auras facilè quærunt, Mercurio.

Examen inſtituimus deſtillando radices pæoniæ fœminæ ſiccas per ſe ex arena per retortam vitream, & prodierunt ex ℔j. radicum ℥vj. aquæ ſpirituoſæ, ſale volatili impregnatæ, craſſique olei ʒiij. Quod in fundo remanſit ☉, aduſtum cum ipſa herba & floribus ulterius, & elixiviatum, alcali fixum, idem-

demque purificando elegans cryſtallinum exhibuit.

De calido igitur temperamento pæoniæ neutiquam dubitandum, cùm in eò tàm neoterici, quàm veteres medici conſentiant, & pares etiam de gradu ſententias foveant.

Calidam & ſiccam in ſecundo gradu eam ſtatuit *Ottho Brunsfeldius in Append. Tom. 1. Simpl. Pharm.* Idem perhibent *Ioh. de Vigo lib. 7. de Natura Simplic. Fernelius lib. 5. M. M. cap. 18. Schröderus lib. 4. Pharm. Med. Chym. pag. 127. Macaſius lib. poſter. Mater. Med. ſect. 2. c. 2.*

Cùm quæritur, an noſtra Germana pæonia quoad temperamentum cum illa veteri conveniat? Reſpond. id negandum non eſſe, præſertim ſi incolam germanorum montium, hortorumque cultiorum, & non eam, quæ hinc inde plantatur in locis humidioribus, & indiligentibus hortis, intelligamus. Colligere hoc licet ex *Galeno*, in utraque proculdubio ſpecie, (nam indiſtinctè *lib. 6. de Simpl. Med. Fac.* loquitur de hac radice, ) lenem adſtrictionem cùm quadam dulcedine, & pluſculam acrimoniam ſubamaram obſervante; quæ omnia noſtræ Germanæ pæoniæ quadrant.

CA-

# CAPUT VI

## Pæoniæ vires in genere detegit.

A craſi pæoniæ in præcedentibus determinata, variæ ac diverſæ vires ſeu facultates propullulant, quas inter prima eſt *vis aperiendi*, in particulis acribus & tenuibus exiſtentiam & ſubſiſtentiam ſuam habens, & hæ nulli alii, quàm ſalino Principio illam activitatem debent.

Comites ſunt *vires attenuandi, incidendi, abſtergendi*, in particulis ſalinis pariter delitescentes.

*Vim leniter adſtringendi* præter *Galenum lib. 6. de Med. Simpl. Fac.* ipſe tenius manifeſtat.

Cùm verò juxta tritum, unius rei una ſit forma ſpecifica, haud immeritò quæritur, undenam oriatur illa vis contraria? Reſpond. ex *Dogmatibus Med. General. D. D. Brunonis pag. 692.* Omnes quidem activas facultates provenire à forma uniuscujusque rei ſpecifica, ſed non omnes formas ſtatim eſſe formas eſſentiales, ſed quasdam ad conditionem principiorum materialium elementarium pertinere, à quo formarum genere dependet

 etiam

etiam facultas pæoniæ adſtringens, ſecundaria & accidentalis inde vocata.

Ubicunque igitur in humano corpore aut ſangvis aut humor alius viſciditatem p. n. induit, ita ut vaſa obſtruantur, motusque ſangvinis circularis impediatur: vel quoties p. n. laxantur, aut debilitantur corporis partes, non tantùm pæonia viſciditatem illam corrigendo, & obſtructiones vaſorum expediendo, ſangvinemque ad motum circularem disponendo; ſed etiam partes quasvis leni & ſucceſſivâ adſtrictione redintegrando, non repugnantibus facultatibus, officium ſalutare præſtat.

Plures inſuper habet uſus in medicina non contemnendos pæonia.

Si principia ejus activa, ſal & ſulphur, attenuandis, liqvandis & fundendis humoribus apta, reſpicimus, non tantùm *diaphoretica*, ſed etiam *diuretica vis* prælucet.

*Vi Anodyna* ipſam quoque pollere teſtatur experientia, quando ſcilicet ob ventris tormina ploratus, vigiliæque infantium, ab uſu præſertim ſeminis cedunt. Nec deeſt ratio, ſi enim interior membrana inteſtinorum ab humore acido & acri roditur & mordetur, illud ſemen oleoſitate, ſive parte ſuâ ſulphureâ aculeos humoris rodentis ita oblinit, ut rodere vel pungere ulterius nequeant. Dormiunt autem infantes, cùm ſopiuntur ita do-

lo-

lores, & ſulphur pæoniæ reſolutum in teneris corporibus pacatiores reddit ſpiritus.

*Menagogis* eadem adnumeranda venit ob naturam aperitivam, & quod craſſos humores ſangvini copulatos attenuet, fundat, viſcida detergat, & motum liberum ſangvini conciliet. Neque impediunt hanc vim portiones terreſtres in ea cohabitantes; ſed quando activæ præſtiterunt officium, paſſivæ hæ partibus robur addunt, & actionem concludunt.

*Anthelminticam* eſſe, licet ex amaritie & acrimonia, & inde vi attenuandi, incidendi & abſtergendi colligere. Nec obſtat illa in radice deprehenſa dulcedo, quæ fugitiva ſatis eſt, & momentanea quaſi ſi guſtetur, hincque vermium delectamento impar. Intenditur autem hæc virtus, ſi adjiciantur amara, quibus non tàm geniti in corpore lumbrici, quàm nova eorundem generatio impeditur.

Ad *Lithontriptica* refertur pæonia, quòd facultate manifeſtâ, λεπτομερείᾳ ſcilicet in calculi coagulum ſe inſinuet, illiusq; gluten incidat & ſolvat. Eô nomine commendat eam *Dioſcorides*, *Fernelius*, *Trallianus*, *Tragus* & alii.

Interrogati de occultis pæoniæ qualitatibus, an illæ etiam dentur? Reſpond. cum D. D.

*D. Brunone*, omnem facultatem medicamentoſam quoad principium intrinſecum, ſive eſſentiam, non eſſe ſatis perſpectam, & dici poſſe occultam: quoad modum verò operandi in ſangvinem & ſpiritus, nullam eſſe facultatem occultam adeò quidem ut non poſſit à medico dari ſufficiens ratio. Vid. *Dogm. Med. General. Brunonis pag. 701. 703.*

# CAPUT VII

## Pæoniæ vires in ſpecie contra affectus varios internos explicat.

MAgnam in quamplurimis morbis & ſymptomatibus virtutem poſſidere pæoniam, ſequentia comprobant.

In *Febribus* intermittentibus ea uſurpatur, vel ad pituitam in ductibus pancreatis lateralibus ſpiculis ſuis ſalinis incidendam, vel ad inhibendum paroxyſmum, & præcavendos inſultus epilepticos ſulphure ſuô fixante. Sic in tertiana cum aliis alterantibus in forma liquida ipſam propinavit Beatus *Rolfincius. Vid. Meth. med ſpec. comment.*

In febribus malignis, petechialibus, variolis, imò in ipſa peſte, intentione ſecunda-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0030-4

tiâ, ubi ſcilicet epileptici motus metuendi, eandem apprimè convenire, præſertim ſi copuletur alexipharmacis, omnes in medendo verſati ſuffragantur.

In *Epilepſia* maximè conducit, quia corrigit acetoſam ſangvinis acrimoniam, & nervorum, partiumque nervoſarum explicat criſpaturas, ſive ſola, ſive cum aliis, præſertim volatilibus in uſum trahatur.

Exempla feliciter uſurpatæ pæoniæ in hoc graviſſimo affectu tàm per ſe, quàm cum aliis videri poſſunt apud *Williſium*, *Tract. 1. de Morb. Convulſ. c. 3. & 4.*

*Hildeshemius Spicil. 7. de Affect. Capit. pag 598.* emulſionem ſeminum pæoniæ in paroxyſmo epileptico in gravida feliciter uſurpatam meminit.

Nos infantibus in eodem affectu, præmiſſis univerſalibus, aliquot diebus ante novi. & pleni-lunia, aliquoties cum fructu dedimus radicem & grana pæoniæ in pollinem redacta, cum abſorbentibus & opiatis.

Ad *Cephalalgiam*, ab acido excedente, radix & ſemen pæoniæ cum ſpeciebus diarrhod. Abb. & ſaccharo proſunt, quod remedium commendat *Bauhinus de Compoſit. Medicamentor. cap. 27.*

In *Vertigine* pæonia in forma eſſentiæ, cum aqua è typhis cervinis, & ſpiritu liliorum con-

convallium, & paucis guttulis tincturæ opii mixta, magnoperè confert, eò quòd impuri ſpiritus animales nimium agitati ex ejusmodi uſu purificentur, & ad tranquillitatem reducantur. Aſſenſum nobis præbet D. D. *Iohrenius in Prax. Chim. ſect. 1. cap. 5.* ubi pulverem radicis pæoniæ cum ſtercore pavonis, & cinnabari ℥ij, de die bis ſumendum in decocto ſalviæ, vel viſci pomorum, adverſus memoratum affectum extollit.

*Incubi* remedium præſtans eſt, ſiquidem caliginoſos ac denſos ex imo corpore à crudis & craſſis humoribus ad cerebrum, & ſubſtantiam ejus medullarem aſſurgentes, inque motu ac ſenſu torporem, in phantaſia verò cogitationes deliras excitantes halitus diſcutit, viasque ſpirituum ſemi obſtructas aperit. Eô fine radices ejus conditas, aut excorticata grana aquâ lavendulæ inebriata cubitum ituris ſvadet B. *Sennertus lib. 1. Prax. part. 2. cap. 29.*

In *Lethargo* trahitur in uſum cum aliis pituitam viſcidam in corpore redundantem alterantibus & corrigentibus aromaticis & volatilibus, bilisque narcoticam vim infringentibus & emendantibus acidis, non omiſsâ viſcidi illius humoris evacuatione. Conſentit idem *Sennertus lib. 1. Prax. part. 2. cap. 20.*

*Apoplecticis* proficua eſt, quatenus ſpiritu-

um

um animalium influxus removet obſtacula, quô ſine omnes ferè pulveres & aquas antiapoplecticas ingreditur.

*Melancholiæ* reſiſtit, quatenus medicamentis volatilibus aſſociata vappeſcentem & acetoſam ſangvinis qualitatem corrigit.

In *Mania* conducit poſt V.S. cùm humectantibus & refrigerantibus acidis adhibita, ita enim ſpiritus fervidiores demulcentur, & impetus eorundem inordinatus ligatur, ſique opiata his jungantur, eò melius ſuccedit intentio medici.

Non autem enumeratis tantummodò, ſed omnibus inſuper capitis affectibus frigidis mederi pæoniam, autor eſt *Simon Pauli Quadripart. Botan. pag 106*.

Hinc etiam *Catarrhoſis* utiliſſima eſt cum aliis attenuantibus maritata, cùm non tantùm pituitoſam materiam attenuet & incidat, ſed caput inſuper exſiccet ac roboret, ut ipſa per competens emunctorium felicius excerni poſſit.

In quibus verò peccat ſeroſa & acris materia, & ad pectus delabitur, & membranâ aſperam cingente arteriam vellicatâ *Tuſſis* excitatur moleſta, cum paregoricis & anodynis, imò cum ipſis narcoticis pæonia utiliter adhibetur, acrimonia ſeri corrigitur, & impetus ejus in pulmones impeditur. In hunc fi-

finem laudant pulverem catarrhalem *Auguſtani Append. in Pharm. Reg. pag.17.* Laudat pulverem contra tuſſim infantium *Mynſichtus Armam. Med. Chym. pag.109.* Similemque laudat *Agricola part.2. Commentar. & Animadverſ. in Poppii Med. Chim. Tract. de* ♀, *pag 376.* quos omnes exaltat radix & ſemen pæoniæ.

Dimicat adverſus *Tuſſim convulſivam infantinm* decocta radix cum viſco quercino, & hyſſopo. Vid. *Williſius Tract. de Morb. Convulſ. pag.223.*

Nos puellam unius anni, furibundâ & convulſivâ tuſſi correptam, vomitu excitatô, & radice pæoniæ cum elæoſaccharo aniſi per vices exhibita curavimus. Multa ex uſu emetici materia mucilaginoſa fuit rejecta, unde haud dubiè ob adſcendentes acriores halitus, vellicantes diaphragma, pulmones, & muſculos exſpirationi inſervientes, hæc tuſſis excitata fuit.

In *Aſthmate* uſum ſuum exhibet, quatenus viſcidam & glutinoſam pituitam in thorace incidit, quâ intentione cum ea radice, & nonnullis attenuantibus pectoralibus egregium confecit decoctum *Reuſnerus Obſervat. Med. 60.*

Ad ejusdem humoris viſciditatem in pecto-

pectore attenuandam & incidendam nuper-natis infantibus commendavit olim *D. Martini*, inclutæ Reipublicæ Lubecenſis Poliater, hunc pulverem expertum:

℞. Rad. pæon. irid. Florent. ā ℥ij.
Croci ʒij.
Sacch. alb. ℥ij. canth. ℥jß.
penid. ℥ß.
M. f. l. a. pulv. ſubtiliſſ.
Doſis à ℈j. ad ℈ij. in lacte nutricis.

*Viribus fractis* ob diſſolutos in corde ſpiritus, pæonia, reficientibus admixta cordialibus, opem præſtat, cùm eorum non tàm prohibeatur diſſolutio, quàm promoveatur augmentum. Cui ſcopo multorum aquas vitæ vel virtutum nomine celebres, aliasque plures ingreditur compoſitiones.

Non minus confert ipſa famoſiſſimis illis cordis affectibus, *Palpitationi*, *Lipothymiæ*, *&* *Syncopi*, quatenus cum reſolventibus & opiatis data, grumeſcentiæ ſangvinis reſiſtit.

Ad appetitum depravatum, *Picam* vel *Malaciam* prædicatur pæonia, ſi radices cum corticibus citri, pomorum aurantiorum, foliis meliſſæ, vitis tenerioribus, & vino malvatico infundantur ac deſtillentur. Ita enim exhibita fermentum ventriculi ab excremento pravo adulteratum corrigitur, & appetitus iſte non tantùm ſiſtitur, ſed etiam ne gravidæ

obdenegatum uſum abſurdorum ciborum fœtibus ſuis aliquam noxam accelerent, præcavetur, præſertim ſi accedat mentis malè circa objecta oblata ratiocinantis correctio. Hoc ipſum cum *Sennerto* Beatus fatetur *Mœbius.*

*Ventris & hypochondriorum inflationibus* opitulatur pæonia: cujusmodi pulvis eſt *Sennerti* ex radice pæoniæ, ireos, ſemine cumini & ſeſami paratum. Vid. *lib. de Morb. Infant. part. 2. cap. 20.*

*Tormina ventris* lenit pulvis radicis pæoniæ & biſtortæ, cum momento croci, ad ℈j infantibus exhibitus. Vid. *Crato in Euporiſt. pag.* 700.

Nec vacant laude in *Dyſenteria* radices pæoniæ in cereviſia coctæ, decoctumque butyro conditum manè veſperique bibitum, præſertim in dyſenteria epidemia, ubi reliquis nihil juvantibus, hoc remedium cum abſtergentibus multis profuiſſe meminit *Sennertus lib. 3. Prax. pag. 358.*

In *Paſſione Iliaca* nonnulli pæoniam compoſitionibus admiſcere conſveverunt. Talis eſt illa aqua vitæ, quam *Wierus lib. medicament. de Morb. incognit. pag. 111.* contra hanc paſſionem producit.

*Cachexia* à pæonia depellitur, ſi conjungatur cum medicamentis volatilibus oleoſis & aromaticis, non neglectô ſimul uſu cathartico.

co-

corum. Hôc modô ichores corrupti, ſangvinis circuitum, totiusque nutritionem impedientes, corriguntur, & viſcera in naturalem ſtatum reducuntur, ut firmis talis iterum ſtare poſſit homo. Eâ fini apud *Platerum* hic pulvis contra cachexiam infantium, à quacunque cauſa ortam, ex radicis & ſeminis pæoniæ ʒj fl. roſar. rubr. ʒß. nuc. moſch. par. toſt. ℈ij. baccar. lauri par. toſt. ʒß. ſpicæ, ſchœnanth. croc. Orient. ā ℈j. ventric. & inteſtin. gallinar. præp. ʒj. Croci ♂ aperitiv. ʒiß. cinamoni elect. ℈j. paratus, proſtat.

In *Affectione Hypochondriaca*, & *Scorbuto* debellando ſymbolum ſuum confert pæonia, quatenus ſalinis & aromaticis volatilibus ſociata fermentationem alimentorum in ventriculo depravatam, emendat, humorem melancholicum, ſive acido auſterum corrigit, bilioſum acrem alterat, & expulſis per cathartica excrementis morbificis, corpori rurſus amicam fœnerat quietem. In priori affectu tragema, ventriculum corroborantis nomine, radicem pæoniæ continens, deſcribit Beatus *Rolfincius in Conſil. Med. lib. 8. Conſult. 3. pag. 723.* In altero, à calidiori ſangvinis dyſcraſia, eximias exhibet rotulas *Williſius Tract. 2. de Scorbuto, cap. 7. pag. 296.*

Quod *icterum* juxta *Tragum* & alios abigat, virtuti ejus aperitivæ partim imputari debet,

partim adſtrictoriæ & ſedativæ; penetrando enim ad hepar, & ductum inteſtinalem bilis expedire & aperire, & ſpirituoſitatem ac volatilitatem ejus emendare valet.

Si *Vermes* in inteſtinis hæſerint, pæonia ab eis liberat, præſertim ſi rhabarbarum, corallina, dictamnus albus, ſimiliaque fuerint adjecta, ita enim putredini atque pullitiei verminoſæ reſiſtitur potentius. Vid. *Sennertus lib. de Morb. Infant. cap. 23. Tabernæmontanus Hiſtor. Herb. lib. 2.*

Nos aliquando ſex lumbricos, ſpithamâ longiores, cineritii coloris, à ruſtico puero abegimus, iterumque octo, diverſis temporibus, eſſentiâ radicis pæoniæ, & ſale C. C. volatili, cum ſp ⊕li fixato paucisque granis gummi cathartici Peruviani exhibitis.

*Arthritidem* levat pæonia, quatenus acrimoniam ſpiritus acidi ad articulos demandari ſolitam contemperat, quod vel potentius præſtat, quando ipſi alia inſuper arthritica ſale volatili abundantia admiſcentur. Exemplum nobis præbet aqua illa arthritica pæoniâ aucta *Timæi* von Güldenklee. Idem docet Diacorallium *Tralliani*, quod aliis præferre ſolet antiarthriticis: & vinum medicatum *Grülingii*, quô præmiſſis præmittendis quendam à dolore podagrico feliciter liberavit. Vid *Centur. nov. Curat. Dogmat. Herm. Obſerv. & Cur. 13.*

Con-

Contra *Calculum renum & veſicæ* radix pæoniæ commendatiſſima eſt, *Dioſcoridis, Fernelii,* & *Tralliani* ſuffragiis.

Cùm enim ut plurimum ab ingeſtis cauſetur calculus, inque multis, præſertim infantibus prima digeſtio depravetur à cibis crudis, acidum ventriculi ſpirituoſum vappeſcens illorum neſcit reſolvere mucaginem, cui ſi accedat in progreſſu volatile ſalinum, ope auſteri congeniti illa mucago facilè concreſcit in calculos, juxta celeberrimum *Sylvium lib.1. Prax. cap. 55.* Cruditates autem iſtas acidas, ceu cauſam calculi antecedentem, pæonia corrigit, quod in primis viis viſcidum eſt, incidit, & ſerum ad renes & veſicam tendens ad exitum promovet, ſique hydragogo naturam in ſequeſtrandis ſuccis vitioſis juverimus, notabiliter calculi generatio impedietur.

Venit nuper biennis puer in manus meas curandus, quem pulte ex farina cruda parato cibaverant, cui inflatus erat ventriculus, aderant tormina, alvus immemor erat officii ſui, urina parcius prodibat, & aliquando mucoſum ſedimentum exhibebat. Cùm itaque alvus adſtricta iterum præſtitiſſet officium à propinato laxativo; ventriculique regio cum hypochondriis inuncta fuiſſent oleis carminativis, ex uſu potionis ſequentis per

vices crebras cochleatim exhibiti, copioſa & limoſa urina, cum tribus calculis albis ſquamoſis & friabilibus, plena hordei grana æmulantibus, excreta fuit.

℞. Aq. pæon. chærefol.
petroſel.
Succi gram. rec. expreſſ. ā ℥j.
Sir. byzant. ℥ß.
Oc. ♋ præp. ʒß.
Extr. rad. pæon.
veron. ā ℈j.
Spir. ⦶ dulc. gutt. viij.
M. S.

Tråncklein/ offt zugebrauchen.

Ad *Menſium ſuppreſſionem* conducit pæonia, conciliando quietiori ſangvini motum, reſerandoque factam à viſcoſis humoribus obſtructionem. In quem finem efficax apozema pæoniatum, pilulasque pæoniâ pariter nobilitatas in medium ſiſtit *Bauhinus lib. de Compoſ. Medicam. c 21.*

Si maligna ex utero aſſurgens aura *Suffocationem* excitat, pæonia cum volatilibus & opiatis eam reprimere atque diſcutere valebit. Huc facit pulvis antihyſtericus *Tillingii, lib. de Laud. Op pag 510.* Item deſtillatū deſcriptum à *Sennerto lib. 4. Prax. part. 2. ſect. 3. c. 4.* Ut & decoctum *Corbeji, Gynec. lib. 1. c. 5.*

Suffo-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0040-9

*Suffocationem Hypochondriacam*, ſexum utrumque pariter affligentem, à flatibus halitibusque melancholicis, ex pituita in inteſtinis tenuibus elevatis ortam, amovet pæonia, quatenus illorum cauſam materialem, pituitam corrigit, & flatus halitusque diſſipat, juncta præſertim cum caſtoreo, & aromaticis oleoſis. Qualem mixturam habet *Franc. De Le Boe Sylvius, Prax. Med. l. 1. cap. 19. §. 72.*

Prægnantibus ad *Fœtum confortandum* pæonia utilis eſt, hinc balſamis puerorum frequentiſſimè admiſceri ſolet.

In *Partu difficili* quidam expellentibus admiſcent Pæoniam, & ſic non tantùm faciliorem reddunt fœtus exitum, ſed etiam lochia cum ſecundinis propellunt feliciter. Hujus generis potionem nobis reliquit *Tulpius lib. 4. Obſerv. Med. 42.* Extat & eclegma huc pertinens apud *Rodericum à Caſtro lib. 2. de Morb. Mul. cap. 1.*

Eadem amica nervorum adverſus *Uteri dolores* optimum medicamentum præbet, teſte *Galeno*, qui radicem & grana ejus cum vino mulieribus propinare jubet *lib. 2. de facilè parabil.*

Sedat inſuper *Tormina, doloréſque in Partu, & poſt partum* qui oritur, paregoricâ ſuâ virtute. Hinc oleum illud exornat *Riverianum*, in hoc caſu longè præſtantiſſimum.

CA-

# Caput VIII

## Pæoniæ virtutem antepilepticam in amuleto notat.

MAgno adjumento eſſe pæoniam, humano corpori appenſam & alligatam, celeberrimi Hygejæ pronunciant Antiſtites.

Morbum comitialem abigere de collo ſuſpenſam, memorat *Galenus lib. 6. de ſimpl. med. fac. cap. de glyciſida. ſ. pæonia*, ubi extat hæc hiſtoria:

Equidem, inquit, vidi puellum quandoque octo totis menſibus morbo comitiali liberum, ex quo hanc radicem geſtavit: ac poſteà fortè fortuna, cùm, quod à collo ſuſpenſum erat, decidiſſet, protinus denuò convulſione correptum: rurſusque ſuſpenſo in locum illius alio, inculpatè poſteà egiſſe. Porrò viſum eſt mihi ſatius eſſe, rurſum id collo detrahere, certioris experientiæ gratiâ. Id cùm feciſſem, ac iterum puer eſſet convulſus, magnam recentis radicis partem, ex collo ejus ſuſpendimus: ac deinceps prorſum ſanus effectus eſt puer, nec poſteà convulſus eſt.

Singulare hoc eſt experimentum *Senis*, ab omni oblivione vindicandum.

*Dio-*

*Dioſcorides* nihil de mirabili hujus radicis facultate meminit. Inventio debetur *Galeno*, qui penitius eam cognovit.

Expertus de eadem ita loquitur *Aëtius Tetrabibl.1. Serm.1. pag.18.* Aliquando puerulo octimeſtri comitiali apprehenſo, magnam radicis recentis partem de collo ſuſpendimus, juſſione factâ, ut perpetuò eam contineret appenſam, & ex hoc facto puer perfectè ſanus evaſit, neque amplius apprehenſus aut convulſus eſt.

Adſenſum præbet *Foreſtus*, qui dicit *lib. 10, Obſerv.59. pag.388.* Puerulo duorum menſium epilepſiâ continuò afflicto, ex Galeni teſtamento ſacculum hunc ad formam quadratam collo ſuſpendi, ut furculam ſtomachi nudam attingeret : ℞. Rad. pæon. virid. ℥jv. ſem. pæon. maris, nempè nigr. ℥iß. radice conciſâ ac ſemine contuſô, hæc in ſacculum concludebam, bombace interjectâ & ſindone coopertum & interſutum, ad collum cum filo rubro ſericeo ad os ventriculi contingentem ſuſpendi mandavi : & ut ibidem ſuſpenſum ad aliquot dies permaneret; ita ut ex hoc ſuſpenſorio, miraculi inſtar, paroxyſmi ceſſarint, neque amplius reverſi ſint. —— quemadmodum & alii plurimi ex ſola radice viridi collectâ unà cum ſemine ejusdem in ſacculo

ita concluſis convaluere. Etiam ante hoc tempus & poſtea in aliis hujus ſuſpenſorii maximam eſſe vim & præclaram, experti ſumus. Tale exemplum etiam de alio puero recenſet eodem modô curato.

*Idem l. 6. Obſerv. 61. in Schol. pag. 393.* radicem in quinque taleolas ſciſſam, lunâ decreſcente collectam, & ſem. numerô iij. adhibuit eodem modo; & radices virides frictas in ſartagine comedendas præbuit, quod denuò in fine ex empirici uſu commendat.

Confirmat id quoque *Fernelius*, qui *lib. 2. cap. 17. pag. 809. de abdit. rer. cauſ.* de pæonia maſcula veriſſimum comperiſſe ſe ſcribit, illam infantium collo ſubnexam comitialem morbum ſanare, idque totius ſubſtantiæ disſidio adſcribit.

Nec *Bergerus lib. de pæonia* diffitetur propriâ ſuâ veterem hanc experientiam.

Sacculum ex radice pæoniæ rec. in taleolas ſciſſ. adhibuit inſuper cum aliis feliciter J. P. *Lotichius lib. 2. c. 1. Obſerv. 20. pag. 193.*

Nobis quidem hactenus non licuit eſſe tàm beatis, ut hoc remedium tentaremus. Talis enim hodiè ægrotorum, vel horum curam agentium mos eſt, ut ſalubre medentis conſilium ſæpè amittant, & optima etiam remedia, niſi momentò juvent, irrideant & contemnant.

Inte-

Interim tamē fidem adhibebimus optimis Autoribus, videbimuſque, quomodo agat, & tàm citò medeatur epilepſiæ pæonia appenſa?

*Galenus* docet, partes aliquas à radice defluentes, ac deinde per inſpirationem attractas: aut aëre aſſiduè ab ea immutato & alterato, affectos ita locos curare. docet item, ſiccas illas ἀναθυμιάσεις nimiam ventriculorum cerebri humiditatem nuper natorum infantium, in qua ſcilicet omnis epilepſiæ cauſa conſiſtere credebatur, corrigere: quod promptius evenire ſcripſit *Aëtius*, ſi ſemper ſtomachum contigerit radix: ſic enim arbitratur, ab illius partis calore, majores ab ea excitari vapores.

Cui aſſentiens affirmat *Hildesheim in Spicil. pag. 569.* prodeſſe radicem hanc eâ ratione, quia ex pæonia exhalant vapores, qui cerebrum petentes epilepſiæ adverſantur.

Nobis verò magis arridet hæc ratio: quia ſubtiles aëreæ 🜍reæ & ☿les atomi excrecenti præſertim exhalant copiosè corporis calore promptæ, inde vis illa per glandulas ſubcutaneas communicatur ſero, quô correctò ab acrimoniâ ſuâ acetosâ, ſeu atrabilariâ, promptè epilepſiæ ſuccurritur.

Amuletum ex radice & ſemine pæoniæ, adjectis aliis etiam, in hoc affectu parat *Willi-*

*Williſius lib. de Morb. convulſ. cap. 3. pag. 49.*

℞. Rad. & ſem. pæon. ā ℥ij.
Ungul. alc.
Cran. human. præp. ā ℥j.
Viſc. querc. ℥ß.

groſſ. pulv. in ſericum rubrum inſuantur, & fiat ſacculus collo ſuſpendendus.

Nonnulli grana pæoniæ cum pericarpiis rutæ pentagonis certô numerô in ſacculo concluſa, contra epilepſiam ex collo ſuſpendunt.

Alii pro eadem intentione globulos, ſive corallia rubra cum pæonia formant, quæ à ſexu ſequiori è collo & brachiis geſtantur.

Poma factitia *Cnöffelii* ingrediuntur etjam radices & grana pæoniæ, quæ ſi manibus teneantur, epilepticos valent inhibere paroxyſmos, quod pariter evenit propter effluvia illa ♁rea & ☿lia penetrantia. Vid. *Ephemer. Germ. Append. ad Ann. 6. & 7. pag. 62.*

CA-

# CAPUT IX

## Uſum pæoniæ externum in affectibus variis internis & externis tradit.

SUbjungere nunc etiam placet, quid pæonia præſtet ulterius externè applicata, in affectibus tàm externis, quàm internis. Hos inter offert ſe iterum epilepſia, ad cujus præſervationem lactentibus pueris utiliter inſpergitur coronali ſuturæ hic pulvis:

℞. Granor. pæon. ʒiß.
Flor. lil. convall.
pæon. lavend. ā pj.
Succini alb. ℈ij. nuc. moſch. ʒß.
M. f. pulv. ſubtiliſſimus, quem deſcribit *Vntzerus lib. 2. de epilepſ. cap. 14.*

Ungventum ad epilepſiam præcavendam componit *Bauhinus lib. de Compoſ. Med. cap. 45.* ex ſeminis & radicis pæoniæ, rad. angel. ſem. nigell. Rom. fol. majoran. roſmar. ā ℥j. cum ol. nardin. q. s. quò tempore ſomni ſynciput, ac narium interiorem partem inungere jubet.

In motibus epilepticis puerorum nos linimentum ſequens nuchæ, ſpinæq; dorſi, præmis-

miſſis aliis etiam, affricuimus nonnunquam feliciter:

℞. Ungvent. nervin. ℥vj.
Ol. de caſtor. ſem. pæon. expreſſ. ā ℥iij.
ſuccini, junip. ā ℈j.
Pingved. caſtor. balſ. Peruv. ā ℈ß.

M.

Emplaſtrum *Cratonis*, in ipſo paroxyſmo epileptico capiti raſo imponendum, itemque varias Practicorum cucuphas pæonia ingreditur.

Hæc & ſimilia topica antepileptica ſine dubio agunt ob ἀναθυμίασιν particularum ☿lium & ♀arum blandarum, quæ lymphæ acrimoniam, & putrilaginem ſæpè junctam corrigunt optimè.

Lixivium cephalicum *Mynſichti*, quod ſapientiæ titulo audit, pæonia decorat, de quo videatur ipſius *Armament. Med. Chym.*

In paralyſi, & convulſionibus puerorum, lixivio cum baccis lauri & pæoniæ parato, corpora lavare jubet *Primeroſius part. 2. de Morb. Puer. pag. 40.*

Contra vertiginem lixivium cum pæonia parat *Agricola in Commentar. & Obſerv. in Med. Chym. Poppii, Part. 1. Tract. de* ⊖. *pag. 38,*

Lo-

Lotionem capitis, in lethargo proficuam, non ſine pæonia proponit Beatus *Rolfincius in Conſil. Med.*

Ad balnea commodè quoque recipitur pæonia. Ita *Sennertus in Tract. de Infant. Cur. part. 2. c. 10.* epilepticis infantibus ſpinam dorſi lavare jubet decocto rad. pæoniæ, alth. lil. albor. & fl. chamæmeli.

*Matthiolus* nuper natis infantibus ſequens præſervativum balneū, adjectâ pæoniâ, conficit, multoties comprobatum in eodem affectu, quod etiam celeberrimus *Mehlius*, Medicus ille Cæſareus commendavit.

℞. Caſtorei ʒiij.
Sem. pæon. Miij.
Coq. in ℔iv. vini albi pro balneo.

In eundem uſum ſimile hoc producit *Hæferus in Hercule Med. p. m. 362.*

℞. V ℔ij. Caſtor. ℥ß.
Radic. pæon. ʒiij.
Macerentur & colentur, poſtea adde
Decoct. flor. tiliæ,
herb. heliotrop.
ſenecion. ã ℔ß.
Ablue his tenellum corpus. Cave autem, ne fervidum nimis ejusmodi balneum adhibeas.

Pediluvium ex calamentha, betonica, fl. ſtœchad. Arab. montan. majoran. rut. iva, & rad. pæon. cum lixivio paratum, laudat *Faventinus*, Empiricus, in epilepſia.

Sterilibus fœminis conducit balneum ex decocto roſar. rubr. gallar. balauſtior. & rad. pæon. à *Roderico Caſtrenſi* ordinatum.

Semen pæoniæ tritum cum oleo, & lumbis mulierum, pudendisque affrictum, facilitare partum, memorat *Ottho Brunsfeldius lib. 4. Iatrii ſui, pag. 54.*

Linimentum *Foreſti* contra cicatrices relictas à variolis, quas non tàm turmæ vermium, ex animata putredine natorum, cutim arrodenti, quàm acrimoniæ ichorum fibras corrodentium adſcripſimus in theſibus noſtris inauguralibus de variolis, ingreditur etiam radix pæoniæ. Deſcriptio hæc eſt:

℞. Ol. amygd. dulc. lil. albor. ā ℥ß.
Pingved. capon. ʒiij.
Rad. pæon. ireos Florent.
Lithargyr. ā ℈ß.
M. in mortario calido, & exprime.

Ad podagram coquitur in aqua pæoniæ herba, & imponitur ſecundum *Cratonem*. Vid. *Euporiſt. pag. 348.*

Suffumigia parantur epilepticis proficua, ex granis & radice pæoniæ vel ſolis, vel cum aliis fragrantibus ſpeciebus.

Suffi-

Suffitu caſtorei, aſæ fœtidæ, pæoniæ & ſimilibus, epilepticis in paroxyſmo ſuccurrit *Camill. Raven. in Meth. rational. de Epilepſia.*

Ex iisdem ſuffitum naribus excipiendum epilepticis parat *Mynſichtus in Armam. Med. Chym. p. 187.*

Pulvis pæoniæ radicis injectus carbonibus in arula igniaria, & fumus exceptus muliebri ſinu, ſterilitati adverſari teſtis eſt *Crato in Euporiſtis, pag. 397.*

Alii contra ſtrangulationem & procidentiam uteri eundem fumum commendant.

Præſtant autem hæc eâ ratione ſuffitus, quia particulæ ſpecierum prunis inſperſarum volatiles in fumum diditæ, illis, quibus mederi volumus partibus, ſe inſinuant, halitus noxios diſcutiunt, humores craſſos & pituitoſos attenuant & reſolvunt, acres & ſeditioſos leniunt, abſtergunt, & calefaciendo & exſiccando roborant.

*Ottho Brunsfeldius* grana pæoniæ cum pilis auris mulæ à mulieribus geſtata in corpore nudo, conceptioni reſiſtere ſcribit.

*Apulejus de virtutibus herbarum, cap. 64.* laudat radicem pæoniæ appenſam cum filo, aut circumligatam contra dolorem iſchiaticum,

Ferunt etiam, hæmorrhagiam narium ſiſtere hanc radicem, ſi ſubjiciatur lingvæ. Vid. *Compend. Medico-Pract. Schmitzii*, *pag 103*.

Afros de collo ſuſpensâ eâdem ſe præmunire adverſus immanium ſerpentum, & virulentorum animalium ictus & morſus, *Anonymus* in *Dodonæum* refert.

Utut autem prolata hæc dubia adhuc & incerta ſint, nihilominus amuleta, quæ ſcilicet naturali ratione nituntur, apud plurimos grande ſolet eſſe pretium, neque immeritò, cùm ea ſæpè tales morbos ſanent, quos alia medicamenta licet optima, ſanare non poſſunt.

Amuleta verò, quæ nullam habent rationem naturalem, non aſſis facienda ſunt, e.g. quando pæonia januis & parietibus ſuſpenditur, aut in humano corpore geſtatur ad arcendum ſpiritum malignum, tempeſtatem, item ad divinationes & conciliandam ſuperiorum gratiam, &c. De quibus *Apulejus*, *Plinius*, *Weckerus*, & alii ſcripſerunt.

Diſquiritur, an etiam mediis naturalibus Dæmon, vel morbus à Dæmone, aut perſonis maleficis permiſſu Dei inductus, ex humano corpore poſſit expelli? Reſpond. licet hoc difficile ſit, planè tamen impoſſibile non eſſe factu, quod multis confirmare poſſemus

mus exemplis. Duo autem hæc tantùm adduxiſſe ſufficiat.

Uxor *Magreti* melancholica, variis lingvis loquens, à *Calceario* medico curata fuit helloboro, referente *Pomponatio*.

Dæmoniacus furioſus, purgato ab atrâ bile corpore, à *Rulando* priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit.

Purgantia his ægrotis fuerunt adjumento, quoniam ea nigrum, fœdum, turbulentumque humorem, in quo ſpiritus immundus ſuum habuit domicilium, exturbârunt.

Si itaque Dæmones ipſi (ut verbis *Codronchii* utar) in homine locantes domicilium, eliminato humore, cui promptiſſimè inſident, melancholico, idem deſerere coguntur, quid dubitandum erit de faſcini per maleficos tantùm inducti ſolutione, in ordine ad illud ceu mitiori malo.

Ut verò malefici, vel ipſe Dæmon, ad infligenda mortalibus mala, mediis utuntur naturalibus, quorum ope obſtructiones, intemperiem, continui ſolutionem inferunt, noxios humores concitando, utiles autem putrefaciendo, ita non minus medicus generoſis fultus auxiliis, intemperiem corrigere, obſtructionem tollere, unitatem reſtituere, humores putridos educere, corrigereque valebit.

Efficiunt hæc tùm evacuantia, tùm alte-

rantia] medicamenta. In claſſe poſteriorum eſt pæonia, quam ſupra melancholiæ & epilepſiæ adverſari diximus. His autem affectibus cùm Dæmon haud infrequenter ſe immiſceat, & radix illa absque ſuperſtitione externè corpori applicata, præſertim non neglectis ſimul aliis convenientibus internis, atomis ſuis ☿bus & 🜍reis humorem melancholicum, & phantaſmata depravata corrigere, ſpiritus tenebricoſos illuminare, & ſeditioſos componere valeat, non mirum eſt, ſi ipſe Dæmon nidum ac ſtationem ſuam quoque derelinquere cogatur.

# Caput X

## Præparationes & medicamenta varia ex pæonia ſub forma liquida exponit.

Cùm uſuales in officinis præparationes, & medicamenta nobiliora ex pæonia recenſere nunc ordo nos jubeat, ab uſitatâ methodo, quâ in liquidæ, ſiccæ ac mediæ conſiſtentiæ medicamenta dividuntur, non recedemus.

In cenſum liquidorum ſive fluidorum veniunt

I. *Aqua* pæoniæ ſimplex, quæ ex radice, floribus, vel herba viridi, aut ſucco ejus expreſſo, ut ex aliis vegetabilibus deſtillatur. Vid. *Quercetanus Pharm. Dogm. reſtit. lib. 1. c. 7.*

Præſtantior verò eſt aqua pæoniæ, quæ paratur affuſione aquæ ſimplicis, illâ quæ ex ſucco ejus expreſſo elicitur: ratio videatur apud *Zwelferum Pharm. reform. pag. 702.*

Nobis *Wedelianus* ille modus deſtillandi aquas efficaciores placet, in *Pharm.* in A. F. R. propoſitus.

℞. Herb. pæon. recent. (cui radicem addere etiam poſſumus) magnam quantitatem, ita ut tota veſica ſit plena, affunde aquæ ſimplicis quantum reliqvum ſpatium capere poteſt, & ne caloris vi in ipſum alembicum proruant, ante collum cucurbitæ ligna duo decuſſatim obdantur, & deſtillatio fiat.

Si toti pæoniæ conciſæ & contuſæ vinum affundatur, vel cereviſia, & deſtillatio inſtituatur, aqua ſpirituoſa evadit.

Inter compoſitas nulla ferè eſt aqua antiapoplectica, cui non ingrediatur pæonia; Talis eſt aqua antiapoplectica *Sennerti lib. 1. Prax. part. 2. c. 33.* deſcripta. Aqua apoplectica *Mynſichti*, quæ extat in *Armam. Med. Chym. ſect. 19. pag. 237.* Aqua apoplectica Heroi-

roica *Timæi* von Güldenklee / *in caſ. medic.* propoſita. Aqua apoplectica ſecreta *Agricolæ Animadverſ. in Popp. tract. de* ♃, *pag.* 711.

Recipitur etiam in aquam carbunculi, cujus deſcriptionem habet *Thiermajrius lib. 1. Conſil. Med. c. 10.*

Nobilitat eadem aquam epilepticam *Langii*, & *Cnöffelii*, de quibus videatur *Pharmac. Auguſtan. p. m. 295. Ephem. Germ. append. ad ann. 6. & 7. pag. 51.* Item Aquam antiepilepticam *Verzaſchæ*, deſcriptam *centur. 1. obſerv. med. 83.* Aquam cephalicam *Brunneri in conſiliis medicis* delineatam; & aquam illam *Sennerti*, das Flußwaſſer / *lib. cit. c. 31* appellatam.

Huc pertinet aqua epileptica B. *Mœbii*, quæ ſic paratur:

℞. Rad. pæon. valerian. ā ℥j.
fol. rutæ Mj.
flor. lil. convall. pæon.
lavend. anthos ā Mj.
ſem. pæon ℥j. viſc. querc. ℥ii. l. ℥iij.
caſtor. ℥ß.

Infunde c. vino generoſo, digerantur, & ſecundum artem deſtillentur.

Aqua

Aqua vitæ alba Dresdenſis, ad virium ſyncope detritarum refectionem, alioſque uſus nobiliſſima, pæoniam continet, cujus operoſam compoſitionem correxit, & contraxit *Dörerus.*

Balſamo embryonis *Zwelferiano, in Animadverſ. in Pharm. Auguſt pag.285.* deſcripto, nec non *Rolfinciano in Meth. med. ſpec. Comment. pag 835.* notato, noſtra eſt inſerta pæonia.

Comprehendunt eam inſuper aqua hyſterica *Mynſichti,* & *Timæi* von Güldenklee. Item aqua theriacalis uterina *Roderici de Caſtro, lib. 2. de Morb. mul c 8.* ut & deſtillatum illud *Williſii* antiſcorbuticum, in *tract. de Scorbuto, c. 9.* deſcriptum.

II. *Spiritus* pæoniæ ita paratur: Conſcindantur ſiccata pæoniæ folia à craſſioribus ſeparata, cum floribus & radice, cumque modico fermenti & vini, vel cereviſiæ fecum, aqua prius irrorata, condantur in dolio querno, vel vaſe vitreato, donec ♂ ♀ ſpatio fermentatio peracta acido odore percipiatur. Indantur veſicæ, & vini aliquot canthari addantur, & deſtilletur ſpiritus, qui cochlearis quantitate plus minus exhibendus eſt

Non autem promiſcuè omnibus indivi-

calidiores & fortiores cum vino aut $\mathrm{V}^{s}$ parati, & ſæpè aquarum nomine inſigniti ſpiritus adminiſtrandi ſunt, ſed ſenibus, & pituitoſis temperaturis; prægnantibus verò, plethoricis, & infantibus aquæ ſimplices & tenuiores.

Spiritum epilepticum compoſitum binæ deſtillationis, floribus & radice pæoniæ eminentem proponit B. *Rolfincius in Chym. in A. F. R. pag. 143.*

*Idem l. c. pag 155.* Aquam, ſive ſpiritum hirundinum compoſitum dulcem & amarum pæonia illuſtrem deſcribit.

Arcano, & ſpiritui ſuo antiepileptico pæoniam admiſcet *Tentzelius*, *Exegeſi Chymiatr. part. 1. ſect. 1.*

In epilepſia ſpiritus hic compoſitus *Cnöffelii* maximi eſt momenti:

℞. Phlegm. ⊕li, ſ. ſp. ⊕li roridi q. v. ſ. ℥xviij.
☉ ⊕li rubr. ℥j. rad. pæon. ℥j. viſc. querc. ʒß. cran. human. ʒiij. cinnabar ♁ij ʒiij. ſem. pæon. tantundem.

Mixta deſtillentur per retortulam.
Doſis à ℈ß. ad ℈j.

Nos ex ſolis radicibus pæoniæ per retortam vitream viâ ſiccâ deſtillando obti-

tinuimus ſpiritum, odore & ſapore 🜊 ſpiritum æmulantem, cujus ʒj exhibita cum vino abundè ſudorem provocavit. Hinc eum in præparatione mixturæ ſimplicis nonnunquam in ſpiritus 🜊 vicem ſubſtituimus.

III. *Succus* ex herba viridi, & floribus, pro uſu in officinis recepto exprimitur. Quia autem ob aëris acceſſum facilè corrumpitur, ſuperfuſô oleô amygdalarum dulcium recenti diu in vitro auguſti orificii conſervari poteſt ad aquæ, ſyrupi, vel extracti confectionem, quando recens herba deficit. Vid. *Theophr. Paracelſ. part. 6. Oper. lib. 3. de Conſervat. rer. natural.*

Optimè etiam durant expreſſi ſucci, ſi clarificentur cum albumine ovi, filtrentur, vel quod optimum, digerantur, poſteà leni igne coquantur & inſpiſſentur. Saccharum pro conſervatione addere ſupervacaneum eſt, cùm ita inſpiſſati per ſe corruptioni maximè adverſentur.

Modum egregium diutius plantarum ſuccos ſine corruptione conſervandi, beneficiô ſpir. vini, proponit *Angelus Sala, tract. de variis tùm Chimicorum, tùm Galeniſtarum erroribus.*

Per modum *Helmontii*, *tractatu di-*

*ſpenſat. modern.* §. *21.* conſervantur hi ſucci prælo expreſſi, ſolô odore cujusdam ignis ſulphurei, manentque deinceps absq; ſaccharo, vel alio additamento incorrupti, cujus favore balſamicum aliquid acquirunt.

*Cnöffelius* hunc habuit modum: Excipiebat fili ſulphurati ardentis fumum lagenâ vitreâ inversâ, idque ſponte ſuâ extingvi patiebatur, mox ſine mora ſuccum quemvis in illam infundebat, & orificium ejus arctè deligabat. Vid. *Ephemer. Germ. app. ad ann. 6. & 7. pag. 51.*

IV. *Tincturam*, ſive extractum liquidum coloratũ obtinebis, ſi floribus ſuperfundas aquam fontanam vel pæoniæ, ad eminentiam aliquot digitorum, inque digeſtionem exigui caloris ponas, & poſteà ſpiritu ♀, ⊕li, aliusve acidi q. s. ad gratum acorem addas. Extrahitur hoc modo tinctura, per chartam emporeticam colanda, & ſi placet, ſacchari ſ. q. edulcanda. Efficaciſſima eſt in epilepſia, & nocturnis infantium pavoribus. Vid. *Chim. in A. F. R.* B. *Rolfincii lib. 3. ſ. 2. cap. 1.*

Elegans tinctura impetratur, ſi poſt ſpiritus radicum pæoniæ, per retortam viâ ſiccâ deſtillati effuſionem, vas recipiens oleo in lateribus conſpurcatum, s rectificato eluatur,

tur, & in digeſtionem lenis caloris ponatur, poſteaque liquor filtretur. Hâc uſi ſumus in epilepſia puerorum cum aliis appropriatis cum fructu.

Tincturam corticum rubrorum radicis pæoniæ cephalicam antepilepticam cum $\overset{s}{V}$ præparare docet *Rolf. Chim. in A. F. R. l. 3. ſ. 2. c. 7.*

Tincturam antepilepticam compoſitam ſequentem commendat *Deckerus in Exercitat. Pract.*

℞. Rad. pæon. mar. ſicc. ℥ij. angel. ℥j.
aristol. rot. fraxinell.
valerian. ſylv. ā ℥ß.
fol. origan. Cret. majoran. nob. ā Mj.
thym. rut. ſalv. ā Mß.
flor. pæon. mar. hyperic. ā piij.
beton. ſalv.
lavend. roriſmar. ā pij.
ſem. ammeos Orient. nigell. ā ʒij.
pæoniæ ℥j.
caſſ. lign. acut. ʒiij. caryophyllor.
extremit. cortic. arantior. ā ʒij.
cardamom. minor.
caſtor. opt. nuc. moſchat. ā ʒiß.
ſpir. ſalis ✱ci ℥ß.

Con-

Conciſis atque contuſis affundantur V s rectif. pint. vj. Ultimò addatur ⁓ ſal. ✱ci, digerantur ſimul in arena per octiduum, deinde exprimantur, & per chartam emporeticam colentur, fecibusq́; iterum affundantur ſpir. vini optimi pint. iij. ponanturque denuò per quatriduum in MB, deinde ſine aduſtione abſtrahatur omnis ſpiritus, qui tincturæ priori affundatur, ac uſui ſervetur in vitreo nimbo probè obturato.

V. *Eſſentia* paratur, macerando radicem in aqua vulgari, vel propria, deinde ſuccum exprimendo, clarificando, & poſt evaporationem debitam, ſpir. vini tincturam extrahendo, eamq́; leni evaporatione ad juſtam conſiſtentiam redigendo. Vires ejus ſunt antiepilepticæ. *Rolfincius l. c.*

*Idem* eſſentiam laudat ex floribus pæoniæ in MB leni calore contabeſcentibus, ſi ſuccus exprimatur, novisque floribus affundatur, & tertiò iteretur; poſteà clarificetur albumine ovi, coletur, & ad mellis conſiſtentiam redigatur.

Eſſentia alia ſecundum ἐγχείρησιν *Glauberianam* parari poteſt cum univerſali ſolvente, ſive alcaheſt, quô tum vegetabilium, tùm ani-

animalium & mineralium noxias & deleteriaſ qualitates corrigi, & in ſaluberrimam medicinam converti poſſe, dicit *Glauberus, Pharmac. ſpagyr. part.2. pag.46.*

Liquore etiam alcaheſtico *Helmontii* pæonia extrahi, & ſpir. vini beneficio in tincturam, vel eſſentiam redigi poteſt. Vid. *Ephemer. Germ. append. ad ann. 6. & 7. pag. 195.*

Eſſentia pæoniæ compoſita cephalica hoc modo deſcribitur in *Ephem. Germ. app. ad ann. 6. & 7. pag. 38. 39.*

℞. Rad. pæon. certô tempore collect. ℥ij.
ſummitat. beton. meliſſ.
lavend. baſilicon. rutæ,
origan. ā Mj.
confect. anacard.
theriac. Androm. ā ℥j.
viſc. querc. lign. aloes ā ℥ß.
Pulveriſata, & groſſo modo inciſa, cum reliquis optimè commixta, infundantur cum
ſpir. juniper. ℔jß. ſambucin. ℔ß.
& in vitro benè clauſo ſtent per octiduum in digeſtione, colaturæ per chartam emporeticam inſtitutæ, adde

🜄 ⊕li roridi compos. ſ. 🜄 ſedativ. ſimpl. ℔ß.
( de quo *Ephem. Germ. l. c. pag.36.*)
Raſur. cran. human.
Magiſter. corn. alc.
Nuc. moſchat. præp. ā ℥j.
Eſſent. nuc. moſchat. ʒiß.
coriandr. ℈ij.
citri ʒij.

Mixta digerantur denuò in vitro circulatorio, hermeticè clauſo, per duos vel tres menſes; circulatione peractâ, illud quod ſubtile eſt, à craſſo ſedimento per inclinationem ſeparetur & eſſentia cephalica ita ſimpliciter & absque deſtillatione parata, adſervetur ad uſum neceſſarium.

Vires. Cephalicum, epilepticum & apoplecticum medicamentum, eſt inſigne. Doſis à cochl. j. ad ij.

VI. *Elixir* ex pæonia, aliisque V̇ ceu primario elixiriorum menſtruo extrahitur, 🜄tuque ⊖, ⊕, ♀, aliòve acido acuitur, eoque virtus concentratur, & medicamentum efficacius redditur.

Elixir pæoniæ *Mynſichtus in Armam. Med. Chym.* conficit, quod omnia alia remedia in epilepſia, & aliis periculoſis capitis affectibus curandis ſuperare dicit.

Eli-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0064-3

Elixir cephalicum, à frigida cauſa exortis affectibus dicatum, cum pæonia parat B. *Rolf. in Chim. lib.4. ſ.2. c.2.*

Ingreditur etiam elixir cephalicum calidum, & utrumque hyſtericum *Crügeneri*, qui in eorum confectione adhibuit loco $\overset{s}{V}$ acetum ſuum principale radicatum. Vid. *lib. de uſu chim. & præpar. elix. pag. 169.*

Cùm verò notum ſit ex *Pharmacia Wedeliana lib.2. ſ.2. c.6.* menſtrua acida in parandis elixiriis primitus affuſa, ingredientium 🜍 potius obtundere, quàm extrahere, meritò illa præferimus elixiria, quæ $\overset{s}{V}$ primò extrahuntur, & non adeò magna quantitate acidorum concentrantur.

Elixir uterinum ſequens per literas mihi communicavit D. D. *Wedelius*, Vir omni laude potior, quod ingreditur pæoniæ radix. NB

℞. Rad. pæon. maris, ſuccini præp.
myrrh. elect. caſtor. ā ℥j.
diptamn. Cret. zedoar. ā ℥ß.
galang. baccar. laur.
antophyllor. ā ʒij.
croci, camphor. ā ʒj.

Extrah. cum ∽u zedoar. vel $\overset{s}{V}$ rectificatiſſ. Doſ. gutt. XXX. & amplius.

Prod-

Prodeſt in plurimis uteri morbis, & inde proſurgentibus ſymptomatibus, in capitis affectibus ipſius. Curat dolores poſt partum tormina hyſterica, ſuffocationes, lipothymias, motus ſpaſmodicos ex hoc fonte oriundos. Miſcetur variè pro re nata cum aliis quoque, anodynis, carminativis, & volatilibus urinoſis.

Elixir bezoardicum B. *Mœbii.*

℞. Mixtur. ſimpl. ℔j.
Extr. galegæ
valerian.
flor. pæon. ā ʒij. l. ʒiij.

Digere calore leniſſimo per noctem, ac deinceps in vitro benè munito in loco frigido ad uſum repone.

Doſis à ℈j. ad ʒj.

Elixir vitæ majus *Quercetani*, ad reſtaurationem & conſervationem balſami noſtri radicalis, fœcundum eſt inſuper ſemine pæoniæ. Vid. *Pharmac. dogmat. reſtit. c. 7.*

VII. *Oleum* ex granis pæoniæ tritis & toſtis, *Pharmacopœja Auguſtana* exprimere docet, cujus uſus tàm intra corpus quàm extra, in epilepſia & ſimilibus præclarus exiſtit.

Oleum pæoniæ coctum juxta *Zwelſerum* paratur modô ſequenti:

℞.

℞. Herb. virid. cum floribus & radice, infundantur in ſ q. ol. olivarum. Digerantur in loco calido, & coquantur, donec omnis ferè humiditas ſit abſumpta, poſteà colentur, & exprimantur.

Oleum compoſitum *Riverianum*, tormina à partu ſedans, pæoniam recipit, cujus deſcriptio hæc eſt.

℞. Rad. ariſtoloch. rotund.
ireos Florentin.
pæoniæ à ℥ß.
cyperi ʒij.
Herb. ſicc. artemiſ.
matricar. origan.
calamenth. puleg.
dictamn. Cret. abſinth.
ſabin. rutæ
beton. ſalv. ā Mß.
Flor. anthos
ſtœchad. lavend.
chamæmel aneth.
hyperic. ſambuc. ā pj.
Baccar. lauri, juniper. ā ʒij.
Sem. cumini,
rutæ, pæon.
dauci, vitic. ā ʒiß.
Cayrophyllor. Nuciſt.
Cinamom. Zingiber. ā ʒj.

Omnia contuſa & inciſa miſceantur, ac in ol. veter. ℔iij. macerentur, ſtent per

ſeptimanam in vaſe fictili clauſo, dein ſuper cineres calidos ſpatio 4 aut 5 horarum bulliant, poſteà oleum exprimatur, & ad uſum aſſervetur.

Inveſtigantes, an oleum pæoniæ æthereum deſtillari poſſit, Vulcano ſubjecimus expreſſum ex pæoniæ granis oleum, & per retortam vitream ex arena deſtillando nihil aliud elicere potuimus, quàm ſubſtantiam pinguem, butyro non abſimilem.

Idem nobis evenit in deſtillatione olei amygdalarum dulcium, licet pro dividenda partium craſſitie & viſcoſitate, arenam oleo adjecerim.

Felicius autem ſucceſſit operatio in deſtillatione olei ſeminis lini, pariter mucilaginoſi, quod abſque alterius additione exhibuit oleum volatile, ſ. æthereum, idque ſine dubio propter partium tenuiorum, & non adeò viſcoſarum miſcellam.

Oleum craſſum ex radicibus cum ſpiritu per retortam extorſimus, quod in ſuffocatione hypochondriaca, odore halitus auſteros corrigendo ac deprimendo juviſſe, compertum habemus.

Oleum ⊖li antiepilepticum, *Heraclinum*, ſpiritibus adnumerandum potius, exaltat ſemen pæoniæ, quod ab *Henrico ab Heer, lib.3. Obſerv.18.* deſcriptum, & à *Müllero*, Medico quon-

quondam Electorali Bavarico, correctum legitur in *Conſil. Med. Thiermairii, lib.1. c.1.*

VIII. *Vinum* pæoniatum, contra vertiginem, epilepſiam, & frigidos capitis morbos commendatum à *Tabernæmontano lib.2. de Herb. pag.492.* conficitur, ſi radices ſiccæ, & teſſulatim inciſæ indolium muſti plenum injiciantur, & fermentatio expectetur, quâ finitâ, vinum defæcatum & clarum ſi fuerit, transvaſetur, & ad uſum reponatur.

Exemplô vini enulati ſecundum *Gratarolum, lib. de vini natura, c.20.* Vinum pæoniæ ita fieri poteſt:

℞. Rad. pæon. lotarum & ſiccatarum q.v. ſcindantur in taleolas, & in muſto ad mollitiem, vel ad tertiæ partis conſumptionem coquantur, muſtum deinde coletur per pannum lineum, & adjiciantur radices; muſteum hoc decoctum cùm tepidum adhuc eſt, alio muſto admiſceatur, & fermentatio permittatur.

*Petrus Poterius in Pharm. ſpagyr. lib.1. ſect.3.* vaſis, in quo ebullit muſtum, foramini ſuperiori adaptat alembicum vitreum, quò ſubtiliſſimum, & fragrantiſſimum ſpiritum educit, quem ſeorſim ſervandum, aut ut vini naturam exaltet, reaffundendum præcipit.

Vinum antiepilepticum *Quercetani* nobili-

litatur floribus & ſemine pæoniæ, & deſcribitur *in Pharm. dogm. reſtit. cap. 9.*

Vinum hoc purgans contra epilepſiam commendavit celeberrimus *D. Michaël b. m. in Collegio privato, in Meth. præſcrib. form. Morelli.*

℞. Rad. pæon. j. t. collect. ℥ij.
Herb. prim. ver. Mj.
Viſci querc. ℥ß.
Raſur. cran. human. ʒij.
Agarici albiſſ. ʒvj.
Rad. hellebor. nigr. ℥j.
Gialap. ℥ß
Cardam. Cubebar. ā ʒiß.
Sem. pæon. ʒiß.

Aſpergantur ſpecies ſpiritu epileptico compoſito, fiatque l. a. nodulus.

S.

Sonderlich Püſchlein in Wein.

Vinum antipodagricum pæoniâ donatum ordinavit *Grülingius Centur. nov. curat. dogm. Herm. Obſerv. 13.*

℞. Saſſaparill. Rad. Chin.
Lign. ſaſſafraſſ. ā ℥iß.
Rad. pæon. irid. Florent.
caryophyllat. ā ʒj.
Herb. chamædr. ʒij
beton. ſalv. ā Mj.
Flor. hyperic. prim. ver. ā ℥ß.

Ma-

Macis ʒß. ſem. coriand. præp ℈iiij. Incide & contunde ſ. a. pro vini a bi menſuris iijß. ex quo ad paſtum primum hauſtum bibere jubet.

IX. *Mulſum* acquires, ſi partibus duabus, vel tribus, vel pluribus vini, unam partem mellis adjicias, pæoniamque cum aliis in eo infundas, coquas, & coles.

X. *Claretum* fit, ſi loco mellis ſaccharo utamur.

Claretum in caduco purgans, ad imitationem *Eraſti*, cum pæonia proponit *Brunnerus Conſil. med 14.* quod ita ſe habet:

℞. Rad. pæon. ſem. ejusd. excort. ā ʒiß.
Cinamom. Macis,
Galang. zingiber.
Caryophyllor. ā ʒi.
Fol. ſen. ℥j. Rhabarb. elect. ℈iiij.
Agaric. trochiſc. ʒiij. Turbith. elect. (ʒij.
Sacchar ℥iij.
Vini alb. Rhen. ℔j.
Aq. ℥viij. ad vinum, quod nervis, & nervoſis partibus, ac morbis inimicum, diluendum. Macerentur per XIV horas, & per filtrum ſæpius colentur, donec clarum evadat.

Claretum aliud antepilepticum laxativum pæoniatum habet *Mynſichtus in Armament. Med. Chim. ſect. 22.* Ex-

Extollitur in eodem affectu ſequens D. *Michaëles*.

℞. Flor. pæon. tiliæ,
lilior. convall. beton. ā Mj.
tunic. ver. p.iij.
rad. pæon. d.t. collect. ℥j.
hellebor. nigr. ʒvj.
fol. ſen. ſ. ſ. ℥j.
viſc. querc. ℥ß.
raſur. ungul. alc.
cran. human. ā ʒiß.
cubebar. cardamom. ā ʒj.
cinamon. elect. ʒiij.

Infunde in ſ. q. vini roriſmarini, l. rhenani optimi, ſtent in infuſo per triduum, poſteà colentur, & edulcentur ſaccharo, iterumque per manicam Hippocratis colentur.

S.

Sonderlich purgir claret auff unterſchiedene mahl.

XI. *Cereviſia* medicata, ut vinum paratur ex radice pæoniæ, hyſſopo, helenio, fœniculo, cinamomo, caryophyllis, in pectoris affectibus; hoc tantùm obſervatô, ne ingredientia, quæ vires in tenuiori habent ſubſtantia, cereviſiæ adhuc fervidæ, ſed potius tepidæ injiciamus, & adjectis ſuô tempore fecibus, defervere permittamus.

XII.

XII. *Hydromel* ſimplex, ex aqua & melle paratur, ſique compoſitum expetatur, poſſunt radices pæoniæ, aliaque pro medici intentione in coqui.

Hydromel antepilepticum pæoniatum deſcribit *Unzerus, lib. 2. de Epilepſia, cap. 11.*

XIII. *Oxymel* ſimplex, ex aceto & melle confit, compoſitum verò ex his, & pluribus medicamentis, quale eſt oxymel epilepticum ſequens, ad imitationem *Quercetani*, in quo primas tenet pæonia.

℞. Rad. pæon. j. t. collect. ℥j.
ireos Florent. fœnic. ā ℥ß.
fol. beton. rutæ,
hyſſop. majoran. ā Mj.
flor. ſtœchad. Arab.
pæon. lilior. convall. ā pij.
ſem. pæon. viſc. querc. ā ʒvj.
nuc. moſchat.
cinamomi, caryophyllor. ā ʒj.

Macerentur per 24 horas in ℔iv. oxymel. ſcillitic. l. pæoniati, poſteà coquantur ad unius tertiæ conſumptionem.

XIV. *Acetum* pæoniæ infuſum fit in modum aceti lavendulæ, ſive roſarum, acetô ſcilicet floribus, aut radicibus affusô: ſique nonnulla addideris alexipharmaca, medicatum theriacale optimum parabis.

Ex pæoniæ ſucco conſurgit etiam acetum. *Claud. Deodatus libr. 2. panth. hygiaſt. pag. 15.* ſequentem parandi modum habet:

℞. Herb. pæon. q. s. & per philoſophicas digeſtiones purum ab impuro ſepara, mox ad ſucci ita depurati ℔j. ſpir. vin. rectif. adde ℥j. deinde vitreo vaſe benè obturato incluſa ſoli expone, & brevi acetum acerrimum habebis.

Virtutes hujus declarat acetum ſimplex, quod gratiſſimum præbet ciborum condimentum, cruditatum eſt correctivum, appetitus ſuſcitabulum, & fermentalis humoris ſupplementum. Hinc validiſſima tàm ad ſanitatem humani corporis in ſuo vigore integrè conſervandam, quàm ad ejusdem varia affectionum morbificarum genera propulſanda ſuppeditat remedia. Atomis ſuis multangulis & acutis, dum in partium ſe inſinuat poros, eos aperit, humores infarctum molientes perrumpit, punctionibusque ſuis expultricem ſollicitat facultatem, & officii admonet, febricitantes refrigerat, dum ſalia volatilia imbibit & præcipitat, peſtiferi morbi contagia repellit, & ab iisdem nos conſervat ac liberat, triſtes & otioſos ſpiritus à ſopore liberat, cerebriqve nubem potenter diſcutit, imò totum hominem roborat, & non tan-

tantùm verminoſæ putredinis antidotus, ſed & omnium venenorum certiſſimus domitor eſt. Inſervit præterea multis operibus & artibus humanis, cùm duriſſimas, & penitiſſimas etiam partes penetret. Nec eſt, qvod acetum propter innatantes vermiculos ſerpentiformes abhorreamus, cùm nihil qvicqvam iſti nobis noceant, neqve ſemper in aceto præſertim laudabili tales reperiantur, teſte *Boyleo, tentam. phyſiolog. pag.* 58.

XV. *Decoctum* pæoniæ ex toto paratur uſitato more, quod proprio ſirupo edulcatum feliciter in capitis & nervorum affectibus exhibetur.

In morbis ſimilibus majoris efficaciæ eſt decoctum compoſitum pæoniatum, à *Williſio tract. de morb. convulſ. c.* 3. commendatum. *Idem c.* 4. nutricibus manè & veſperi hauſtum ſeri lactis, cui radices & ſemen pæoniæ maris, ſemenque fœniculi dulcis incocta ſunt, propinat, & puerulos ita à paſſionibus ſpaſmodicis præſervat, & liberat.

Simile parat ad nervorum læſiones *Barbette in Opere ſuo chirurgico, pag.* 106.

Aliud in lethargo laudat B. *Rol-*

 *fin-*

*ſincius in Meth. med. ſpec. comment. pag. 94.*

Decoctum hydroticum contra epilepſiam, pæoniam recipiens, præparat *Quercetanus in Pharm. dogm. reſtit. cap. 8.*

Aquam coctam pro potu ordinario talem puero epileptico nobili propinavit *Thiermeirius lib. 1. Conſil. med. c. 3.*

℞. Saſſafr. ℥ij. Viſc. querc. ℥j.
Rad pæon. Sem. coriand. ā ℥ß.
F. omnium infuſio in menſuris duabus aquæ, deinde coquantur ad tertiæ partis conſumptionem.

XVI. *Sirupus* pæoniæ, ex triplici florum infuſione conficitur, nonnunquam etiam ex ſucco florum expreſſo & purificato. Potentior autem eſt hoc modô ſecundum *Zvvelferum* paratus;

Deſtilletur ex recentibus floribus pæoniæ aquæ ℔iß. ſine ulla additione in MB. hinc immergantur florum recentium & radicum pæoniæ maris conciſarum ā ℥iij. & poſt digeſtionem in calore paulò validiori vaſe clausô fiat colatura, & lenis expreſſio; eſſentia parata interim aſſervetur. Tum fiat ex ℔ß. florum recentium, & ℥iij. radicum ejusdem c. ſ. q. aquæ ſimplicis ferventis nova infuſio, & demum poſt unam vel alteram ebul-

liti-

litionem colatura, & expreſſio; colatura albumine ovorum optimè clarificetur, & cum libris duabus, vel dimidia ſacchari coquatur ad conſiſtentiam tabulati, addendo ultimo aquæ ſuperioris deſtillatæ, & recentibus floribus eſſentificatæ q.s.( ℔iß. circiter) fiatque unicâ ebullitione ſirupus antepilepticus. Vid. *Pharm. Reg. claſſ. 1. p. 9.*

Sirupum pæoniæ compoſitum digeſtivum helleboratum in morbo caduco *Helidæus de Paduanis* producit, quem principaliter ingreditur pæonia.

Eandem recipit ſirupus antiepilepticus, & helleboratus major *Quercetani*, ſirupus de pyrethro *Mynſichti*, nec non ſirupus de artemiſia *Auguſtanorum*, & aperitivus pro mulieribus *Zvvelferi*.

XVII. *Emulſio* ex ſemine pæoniæ cum aqua homogenea parari poteſt.

Sequentes formulæ B. *Michaelis* ex collegio ms. in Morellum, commendationem merentur.

℞. Sem. pæon. excortic. ʒij.
f. l. a. emulſio cum aq. pæon. ℥ij.
adde
Magiſter. epileptic. Mich. ℈ij.
Rot. man. Chriſt. perl. q. s.
M. S.
Milch gegen die ſchwere Noth.

Alia.

Alia.

℞. Sem. pæoniæ ʒij.
papav. alb. ʒj.
f. l. a. Emulſio c. ſ. q. aq. lil. convall. l. flor. til.
adde
Aq. epileptic. Lang. ℥iij.
Magiſter. cran. human. ℈ij.
edulc.
Man. Chriſt. perlat. q. s.
M. S. ut ſupra.

Similis efficaciæ hæc eſt emulſio, quam D. D. *Bovvitz*, celebris Practicus Jenenſis p. m. nobis olim commendavit:

℞. Sem pæoniæ,
palm. Chriſti in ✠ macerat.
ā ʒij.
Pinear. Amygdal dulc. ā ʒß.
f. l. a. emulſio c. aq. ceraſ. fl til.
pæon. ā ℥iij.
adde
Magiſter. cran. human.
Smaragd. præp. ā ʒß.
Margarit. præp. ℈j.
Man. Chriſt. perl. ʒij. M.

Emulſio antepileptica, & hyſterica *Cnöffelii*, ſemen & aquam pæoniæ in ſe continent, qnas vide in *Ephemer. Germ. append. ad ann. 6. & 7. pag. 50.*

XVIII.

XVIII. Ad *Julapiorum* compoſitionem adhibetur pæonia.

Ita Julapium antiepilepticum ſuave & extemporaneum præſcribit *Thiermajrius lib. 1. Conſil. Med. c. 3.*

℞. ▽ mirabil. *Lang.*
epilept. Ejusd. ā ℥iß.
Sir de pæon. ℥j.
∾ ⊕li gutt. vij. M.

Antiſpaſmodicum hoc laudat *Williſius in Tract de Morb. convulſ. c. 5.*

℞. ▽ jugland. ſimpl.
ceraſor. nigr. ā ℔ß.
limacum ℥ß.
Sir. flor. pæon. maris ℥ij. M.
Doſis ℥iß- ad ℥ij.

XIX. *Potiones* variæ, & ferè innumeræ reperiuntur apud Practicos, quas pæonia noſtra ingreditur. Pro avertenda & præſervanda epilepſia infanti, acerbiſſimis ventris torminibus vexato, *Grülingius Centur. nov. curat. dogm. Herm. Obſ. & Cur. 31.* ordinavit ſequentem potionem:

℞. ▽ flor. til.
pæon. ā ℥j.
Spir. ceraſor. ʒij.
Sir. de pæon. ℥ß.

Extr. pæon. ʒß.
🜔 corall. perlar. ā ℈j.
C. C. uſti præp. ℈j.
🜕 🜍li gutt. v. M.
Doſis cochl. parvum.

Nos mulieri melancholicæ, propter terrorem graviſſima alvi tormina patienti, potione ſequenti opem tulimus:

℞. Aq. citri ℥iij.
vitæ Matthioli
Sir. de cinam. ā ℥j.
Eſſent. rad. pæon. ℥ß.
🜕 ſal. ✱ci vol. ℈j.
°°° caryophyllor. gutt. ij.
Laud. opiati gr. ij.
M. S.

Tränckleín/ offt einen Löffel voll zunehmen.

*Sennertus lib.* 1. *Prax. ſect.* 2. *c.* 31. hanc antepilepticam deſcribit potionem:

℞. Aq flor. tiliæ, pæon. ā ℥ij.
cheiri, herb. Trinit. ā ℥j.
Eſſent. pæon. ʒß.
Sir. de pæon. ℥ß. M.

Detur cochlear unum atque alterum:

B. *Rolfincius* in tertiana, & malignis febribus talem propinavit:

℞. Aq pæon. Majoran. ā ℥ij.
Sir. acetoſ. citr. granator. ā ℥ß.

Extr. card. bened.
ſcordii ā ℈j.
M. D. S.
Schweiß-Tranck auff 1 mal.

Huc referre licet *Williſii* liquorem antiſpaſmodicum ex *tract. de morb. convulſ. c. 4.*

℞. Rad. pæon. mar. rec. inciſ. ℥iv.
Contuſis in mortario affunde
Vini Hiſpan. ℔j.
fiat expreſſio fortis
adde
Man. Chriſt. perlat. ℥ß.
Servetur in vitro occluſo.
Doſis cochl. j. l. ij. bis in die.

XX. *Mixturæ* etiam ex pæonia, & aliis parantur variæ. Notæ ſunt illæ *Rolfinciana* in *Chimia in A. F. R.* recenſitæ, mixtura antiapoplectica, antiepileptic. dinic. paralytica, & ophthalmica. Item antiepileptica *Cröffelii*, cujus deſcriptionem vide ſis in *Ephem. Germ. append. ad ann. 6. & 7. pag. 59.* Reperitur & capitalis mixtura pæoniâ illuſtrata apud *Matthæum Martini*, in *Hiſtor. & Curat. de morbis meſenterii abſtruſioribus, pag. 328.*

Nos puellæ cuipiam, undecim annorum, atrociſſimis & inſolitis ſpaſmis correptæ, mixturam ſequentem cochleatim per brevia intervalla exhibuimus, quæ ipſi non parum levaminis attulit: ℞. Aq.

℞. ▽ pæon. valerian. ã ℥ij.
epileptic. Lang ℥j.
Tinct caſtor. cortic. rad. pæon. ã ℥j.
⊕ ſalis ✱ci vol. ℈j.
Theriac. ſmaragd. ℥ß.
Laud. opiati gr. j.
Man. Chriſt. perlat. ℥ß. M.
S.
Sonderliche Mixtur.

XXI. *Errhinis*, quæ humores evacuant vitioſos è vaſis vicinis, pæonia quoque inditur. Quale exemplum notavit *Sennertus lib.* 1. *Prax. part.* 2. *c.* 31.

℞. Succi rutæ, betæ ã ℥ß.
Aq. ſambuc. majoran. ã ℥j.
Sem. pæon. nigell. ã ℈j.
Miſceantur, & in nares trahantur.

XXII. Nec *Apophlegmatiſmi* deſtituuntur pæoniâ, quorum beneficiô in epilepticis, & apoplecticis, materia pituitoſa viſcida irritatur, inciditur, ſolvitur, attenuatur, adque palatum & os trahitur, eliciturque. Hujusmodi ſunt generis gargariſmi apud *Sennertum l. c.* & *Deckerum*, *in Exercitat. Pract. circa Meth. medendi, c.* 3. delineati.

XXIII. Cùm *Clyſteres* etiam in paroxyſmo diuturniore epileptico, tùm evacua-

cuationis, tùm revulſionis cauſæ morbificæ gratia, commendentur à Practicis, & horum compoſitionem pæonia ingrediatur, unicum hoc ex praxi *Sennertiana* apponere lubet paradigma:

℞. Rad. pæon. ireos ā ℥ß.
folior. majoran.
rutæ, beton.
ſummitat. centaur. minor. ā Mj.
flor. tiliæ, lavend. ā Mij.
ſem. aniſ. fœnic.
pæoniæ ā ʒj.
agarici in pet. ligat. ʒij.
Coq. in ſ. q. aq. font. Colatur.

℞. ℔j. in qua diſſolue
electuar. diaphœnic.
benedict. laxat. ā ℥ß.
hier. ſimpl. ʒij.
ol. rutac. ℥ij.
mellis anthoſat. ℥j.
ſalis ʒj. M. f. clyſter,
cujus vis augeri poteſt, ſi pilular. aureær. vel trochiſcor. alhandal grana aliquot addantur.

Alium pæoniæ radice inſtructum in caſu ſimili exhibet *Mynſichtus in Armam. med. chim. p. 434.*

XXIV. *Balnea* & *Inſeſſus* ad varios affectus ex pæonia, aliiſque præſcribi poſſunt, quorum non nulla notavimus ſupra cap 8.

In menſium ſuppreſſione inſeſſus hic poterit eſſe utiliſſimus:

℞. Herb. abrot. artemiſ. ſabin. ā Mj.
Flor. cotul. fœtid. cheiri. ā Mß.
Rad. pæon. bryon. alth. ā ℥ij.
Bacc. lauri, junip. ſem. angel. ā ℥ß.
Coq. in vaſe clauſo, & vapor ex ſella perforata excipiatur.

# CAPUT XI
## De
## Præparationibus & medicamentis pæoniæ ſolidioribus.

SOlidis adnumeratur I. *Confectio ſaccharata* pæoniæ, quæ ita paratur: Injiciuntur pelvi cupreæ radices purgatæ, & in aqua maceratæ, iterumque ſiccatæ; & ſaccharum ſiropiſatum paulatim inſtillatur, verſis continuò ſupra calore, ut abſumpta humiditate ſaccharum radicibus adhæreat, & cruſtæ inſtar eaſdem obducat.

II. *Mor-*

II. *Morſuli* ex plerisque partibus pæoniæ conjunctis hôc modô concinnari posſunt:

℞. Conſerv. flor. pæon.
Rad. pæon. condit. ã ʒij.
Pulv. gran. pæon. ʒj.
Extr. pæon. ℈iß.
Sacchar. in ſ. q. aq. pæon. ſolut. ℥iij.
M. f. ſ. a. confect. in morſulis.

B. *Rolfincius Conſil. Med. Hiſt.* 13. hos commendavit antepilepticos:

℞. Spec. diambr.
diamoſch. dulc. ã ʒß
Cubebar.
Nuc. moſchat. ã ʒij.
Sem. pæon.
lavend.
anthos
tiliæ ã ℥ß.
Rad. pæoniæ
helen. citri ã ʒj.
Sacchar. albiſs. ℥vij. f. Morſuli cum aqua fl. tiliæ, qui dentur pro lubitu, vel ℥ß. pro doſi.

III. *Rotulæ*, ſive *Tabellæ* pæoniatæ dantur nonnunquam felici ſucceſſu contra epilepſiam *D. D. Williſius Tract. de Morb. convulſ. c.* 4. tales pueris præſcribit:

NB ℞. Pulv. rad. pæon. maris ʒij.
ſem. ejusd. ʒj.
Sacchar. albiſs. ſolut. in aq. fl. til.
& ad tabulat. coct. ℥iij.
∴ ſuccini ℈j. f. ſ. a. tabulæ.
Singulæ pendeant ʒß.
Comedatur una horâ qualibet ſextâ.

In epilepſia hyſterica ſequentes *Rodericus de Caſtro, lib. 2. de morb. mul. c. 2.* laudat:

NB ℞. Myrrh. Corall. rubr.
C. C. Ebor. ā ʒß.
Sem. pæon. maris. agni caſt.
Viſc. quercin. ā ʒj.
Cran. human. ʒiß. cum
Saccharo diſſoluto in ▽ roſ. f. rotulæ.

Decantatiſſimis etiam rotulis ſuis ſmaragdinis, angelicis præſervativis pro gravidis, & zedoarticis ſalvificantibus pro pueris, pæoniam inſeruit *Mynſichtus in Armament. med. chym. pag. 156. 166. 167.*

IV. *Trochiſci* pæoniâ exaltantur, pro varia intentione medici.

*B. Rolfincius* Maſticatorios tales compoſuit *lib. 2. Conſ. Med. pag. 194.* lethargicis, apoplecticis, & epilepticis ſummè proficuos.

℞. Rad. galang. ʒij.

pæon.

paeon. pyrethr. ā ℈j.
Nuc. moſchat. Cubebar. ā ʒj.
Sacchar. ʒj.
°°° nuc moſchat. deſtill. gutt. ij.
cum ſirup. de ſtœchade, & albumine ovi f. trochiſci, quorum unum atque alterum teneant in ore; manè, jejunoq; ventriculo.

V. *Pilulæ* extractô pæoniæ dotatæ antepilepticæ ita exhibentur à *Thiermajrio d.l.*

℞. Balſ. aloëtic. *Quercetani* ℥ß.
Extr. pæon. rutæ ā ʒß.
Pulv. cran. human. ℈ij.
Corall. præp. Margar. præp. ā ℈j.
°°° ſuccini gutt. iij.
cum aq. antepileptica f. pilulæ, ex ℈j. numero X. formandæ, & pulvere Marchionis aſperg.

Sumuntur ante novi — & pleni — lunium, & ante utriusque quadraturas numero X ſingulis vicibus, horâ unâ ante prandium & cœnam, in ſirupo de pæonia, vel in alio convenienti vehiculo.

Alias contra epilepſiam hyſtericam pæoniâ inſignes deſcribit *Sennertus lib. 4 Prax. pag. 268.* Alias ad menſtrua movenda conficit *Bauhinus de compoſ. medicam. c. 25.*

VI. Nobilitat pæonia *Maſſas cephalicas*, ex quibus globuli, corallia, poma luſoria, ſimiliaque formari ſolent.

Pomum epilepticum *Cröſſelii.*

℞. Rad. pæon. conſtellat.
Viſci querc. ſuô tempore coll.
Granor. pæon. certô temp. coll.
Ungul. alc. ver.
Cran. human. raſp. (triquetri)
Corall. rubr. ā ℥ij.
Lap. ſmaragd. ʒvj.
Oli Cypr.
Succini pulveriſ. ā ℥j.

Omnia prius ſeparatim pulveriſata commiſceantur in mortario terreo vitreato, & cum gummi ceraſorum nigrorum in aqua pæoniæ, ſeu liquore arboris tiliæ diſſoluti q. s. fiat maſſa tenax, ex qua poſteà formentur duo poma, manibus tenenda, ante acceſſum paroxyſmi.

VII. In *Pulverem* rediguntur pæoniæ radices, flores & grana, & vel ſola, vel cum aliis ſpeciebus in vehiculis commodis exhibentur.

Ad epilepſiæ præſervationem à *Williſio tract. de morb. convulſ. c 3.* ſola præbetur radix, circa lunationum tempora, manè &

& veſperi, pondere ℨj. ad ℨij. l. iij. in tinctura appropriata, vel decocto hyſſopi, aut caſtorei, cum aqua fontis & vino albo facto.

Grana pæoniæ trita cum raſura cranii humani pondere æquali miſcet, & epilepticis exhibet *Montanus* in *Conſult. med. cent. 2. p. 58.*

Eadem grana cum pulvere ætitis intro data, epilepticos paroxyſmos lenire, ſcribit *Teſoro dello giore trallato curioſo cap. 61. pag. 201.*

Nos trita pæoniæ grana & radices cum pulveriſato ſemine aniſi, infantibus, ventris torminibus vexatis, in lacte nutricis ſæpè feliciter porreximus.

Pulveribus humorum acrimoniam lenientibus, & abſorbentibus copulata hæc grana, non tantùm epilepſiæ, ſed & aliis graviſſimis medentur affectibus, quâ fini ingreditur pulverem Marchionis, ſeu epilepticum, in *Diſpenſator. Auguſtan. pag. 101.* deſcriptum, & à D. D. *Verzaſcha, Scholarcha & Archiatro Baſileenſi, cent. 1. obſerv. 83.* hunc in modum correctum:

℞. Rad. pæon. maris decreſc. ☽ effoſſ.
Viſc. querc. ℨß.
Raſur. ebor.
Ungul. alcis.
Cinnabar. nativ. ver.

C. C. in alemb. præp.
Fecul. pæon.
Sem. pæon.
Corall. rubr. præp. ā ℥ij.
Hyacinth. præp.
Margarit. præp. ā ℥j.
Lap. bezord. Orient. ver. ℨß.
Fol. ☉ numero XX. f. pulv.
Doſis eſt ℈ß. ad ℈ij.

Conſimiles habentur innumeræ, & nullus ferè medicus eſt, qui non propriam deſcriptionem pulveris epileptici poſſideat. Eô nomine inſigniti prodeunt pulveres excellentes *Pontani*, *Joëlis*, *Wideholzii*, *Bauhini*, *Bartholini*, *Schulteti*, *Rolfincii*, *Cnöffelii*, *Reuſneri*, *Wittichii*, *Williſii*, *Tillingii*, quos omnes pæoniæ radices & grana exornant.

Præcipuum ingrediens eſt etiam pæonia ſpecierum diapæonias *Cordi*, quæ videantur in *Antidotar. med. p.* 25. itemque ſpecierum contra epilepſiam & apoplexiam, in *Diſpenſ. nov. ſ. Pharm. Reg. claſſ.* 11. extantium. Inſerta eſt inſuper ſpeciebus dialunæ, diaolibani, diatabaci, diajovis, diacinnabaris, & ipſi pulveri polychreſto Imperiali *Mynſichti*,

Eximius etiam & probatus antepilepticus pulvis eſt hic, in ipſo paroxyſmo uſurpandus:

℞. Unicorn. mineral. in Thuring. foſs. ℈ß.

Cin-

Cinnabar. ℥ij,
Caſtor. pulver.
Fec. rad. pæon. ā gr. iv.
Laud. opiat. gr. j.
°°° ſuccini gutt. j. M. f. pulvis, ut alcool. D. pro una vice adulto, cum aqua fl. pæon. & oxymel. ſcillitico.

Pulverem ſpecificum ſequentē ad vertiginē, in decocto ſalviæ, vel viſci pomorum, bis de die ſumendum, laudat D. D. *Iohrenius*, *in Prax. Chim. c. 5.*

℞. Rad. pæon. ſole in libr. ingred. coll. ℈j.
Stercor. pavon. albiſs. ʒß.
Cinnabar. ℥ij ℈ß.
M. f. pulvis.

Celebris eſt pulvis apoplecticus D. D. Podchocinski, quem ingreditur pæoniæ radix, & deſcribitur in *Ephemer. Germ. append. ad ann. 6. & 7. pag. 38.*

Trageam hyſtericam pæoniâ conſpicuam commendat *Quercetanus* in *Pharm. dogm. reſtit. c. 20*

Pulverem ſternutatorium pæoniâ inſignem *Herlicius* laudat in *tract. de cura gravidar. puerper. & infantium.*

Species pro cucuphis ſive pileolis, & ſacculis cephalicis, aliquam pæoniæ quantitatem recipiunt.

Tales epilepticis pueris præſcribit *Iac. Primeroſius part. 2. de morb. pueror. pag. 39.*

℞. pulv. rad. ireos Flor.
cyperi ā ʒi.
flor. lavend.
ſtœchad. Arab. ā Mß.
macis
cinamom.
ſem. pœon. ā ʒj.
M. f. pulvis pro cucupha.

Sacculos elegantiſſimos cephalicos pæoniâ claros *Sennertus lib. 1. Prax. pag. 622.* & *Rolfincius Meth. med. ſpec. comment. pag.* 641. commendant.

Plures alii pulveres & ſpecies pæoniâ aucti, paſſim reperiuntur in libris Practicorum, quos omnes conſcribere hujus chartæ vetat anguſtia.

VIII. *Feculæ* ſive *Cherſæ* pæoniæ fiunt ſequenti modo: ℞ Rad. pæon recent. mundat. & à cortice exteriori liberat. q. v. incidantur & contundantur minutim, poſteà includantur ſacculo lineo, & aſpersâ aquâ l. vinô prius ſub prælo exprimantur. Hic ſuccus egreſſus in locum frigidum ponatur, qui quieſcendo ſenſim dabit ſedimentum, quod leniter exſiccandum.

Oritur hîc quæſtio, an tali proceſſu radix pæoniæ ex ſententia *Zwelferi* ſucco ſuo nati-

nativo ita ſpolietur, ut omnis virtutis & efficaciæ expers evadat? Ad hoc reſpondemus: orbari quidem ſucco ſuo eam radicem, ſed tantùm ſuperfluo, viroſo & ingrato, bonam autem ſucci partem in feculis relinqui. Hinc tantùm abeſt, ut inutiles & effœtæ habeantur, ut potius matri ſuæ ſive crudæ radici præferantur, præſertim ubi delicatiores ægroti, atque puſilli ejusmodi medicamentis opus habent. Vid. *Pharm. Wedel. in A. F. R. l.2. ſ.2. c.2.*

Sunt qui feculas aliis addunt, & ſic ſaluberrima medicamina parant. Pro ſecreto habetur ſequens in epilepſia à *Ioh. Ferdinando Hertodt in Crocolog. c.8.*

℞. Fecul. rad. pæon.
ſerpentar ā gr. vij.
Magiſter. croci gr. ij.
°°° buxi per deſcenſ. deſtill.
gutt. iij.
M. pro doſi. Detur in ▽, vel tinct. pæoniæ.

Specificum cephalicum B. *Michaëlis* ingreditur etiam hic cremor, & ita deſcribitur:

℞. Cinnabar ♁ij rectificatiſſ.
vel ter rectif. ʒv.
Cran. human. ſ. △ calcin. ʒij.
fecul. pæon. ☽ decreſc. coll.

Magi-

Magiſter. corall. rubr. ā ʒj.
matr. perlar.
margaritar. ā ʒß.
Fol. ⊖ fini numero X. M. f. pulvis.
Doſis à gr. v. ad ℈ß. & ℈j.

Vehiculum poteſt eſſe aqua pæoniæ, vel aliud appropriatum. Vid. *Laur. Blumentroſt Pharmacothec. domeſtic. & portatil. c. 62.*

Nos virum quendam honeſtum à ſingultu triduum durante, feculis rad. pæoniæ & ari cum eſſentia ſicca terræ Japponicæ tinctis, & elæoſaccharo macis feliciter liberavimus.

IX. Si *Chymia* ſuppeditaret oleum pæoniæ æthereum, facilis quoque eſſet *Elæoſacchari* præparatio, quod medicamentum ſecundū *Salam Saccharol. part. 2. c. 15.* conficies, ſi ſacchari finiſſ. & ſubtiliſſimi ſufficienti quantitati tantum olei deſtillati inſtilles, ut aliquantum humectatum formâ pulveris ſubſiſtere queat; & in mortario vitreo ſaccharo incorpores. *Schröder. in pharm. med. chim. fol. 8.* ad ʒj. ſacchari, olei ℈j. vel circiter ſufficere autumat.

Elæoſaccharum compoſitum polychreſtum pulvere radicis pæoniæ honeſtatum *B. Rolfincius* deſcribit in *Chim. in A. F. R. pag. 276.*

Ali-

Aliud elæoſaccharum cephalicum cum floribus pæoniæ pulveriſatis *Idem* habet in *Meth. med. ſpec. comment. pag. 624.*

X. *Magiſterium* pæoniæ vulgari modo paratur, ſi folia floreſve in lixivio cinerum clavellatorum, vel ſalis ♀ coquantur, & infuſa ſtent loco calido, hinc factâ filtratione, ſolutione aluminis in aqua ſimplici factâ, præcipitentur.

Verùm magiſteria in hunc modum præparata genuina non eſſe, ſed impura atque inertia, pluribus oſtendit D. D. *Wedelius Pharm. libr. 2. 4. c. 1.*

Idem judicare licet de magiſteriis, quæ ſolventibus & præcipitantibus acidis fiunt, cujus commatis eſt magiſterium coralliorum pæoniatum *Mynſichti*, in *Armam. Med. Chym. ſect. 1. p. 34.* propoſitum.

Utut enim ejusmodi magiſteria edulcentur, ſemper tamen acidum aliquod ſal poris corporum horum immerſum retinetur, quod remanens tractu temporis aërem attrahit, & quod in hujus rei fidem adfert Excell. *Wedelius*, in charta aliquandiu hæc aſſervata, eandem ſenſim corrodunt, & in pulverem redigunt. Suô itaque merito præferuntur magiſteriis præparata, niſi ob levitatem & gratiam ali-

aliquis illa perſonis delicatioribus, alios quosvis pulveres abhorrentibus, exhibere velit.

XI. *Sal* ſive *Alcali* pæoniæ fixum ſplendidum acquiritur, ſi planta recens integra comburatur lentè, & cum aqua cinis coquatur in lixivium; vel ſi fervida aqua aliquoties filtretur, & tandem purificatus liquor lentâ evaporatione & cryſtalliſatione inſpiſſetur. Hoc ſi repetatur aliquoties, ſali egregius conciliatur nitor.

Qui verò ſplendoris & ſaporis gratiâ cineres cum 🜍 calcinant, & elixiviationem peragunt, aut additione ſpiritus acidi ad alcali cryſtalliſationem inſtituunt, illi ſalia minus pura conficiunt, ſed ea potius in aliud ens, ſive ſal ignobilioris efficaciæ commutant. Vid. *Pharm. Wedelian. lib. 2. ſ. 4.* §. 7.

Alcali cryſtallinum compoſitum antepilepticum, & uterinum pæoniâ illuſtratum producit *Mynſichtus* in *Armam. Med. Chym. p. 195. 202.*

Si ex ſola, vel decoctâ prius in aquâ pæoniâ, ſuccus exprimatur, isque clarificetur, & ad tertias inſpiſſetur, ſal acidum, ſive potius tartarus cryſtallinus, à ſimilitudine ♀ vini ita dictus, exſurgit, quem nonnulli perperam ſal eſſentiale ſive volatile vocant. Hic verò in frequenti uſu non eſt.

Sal

Sal volatile pæoniæ, in radice & ſemine reſidens magis, deſtillatione cum ſpiritu vini factâ, ſub liquore latitans acquiritur.

Ut autem melius hæc ſalia demonſtrari queant, multos ea parandi modos excogitaverunt artifices, quorum aliquot examinat D. D. *Wedelius* in *ſpecim. altero chimico, de ſale volat. plantar. c. 5.* ubi tandem concludit, ſalia volatilia contuſione, digeſtione, & artificiali quadam fermentatione ex plantis generari poſſe & colligi.

Hæc ſalia ſunt, quorum vi *Paracelſus, Libavius, Borellus,* & alii plantas ex cineribus reſuſcitari poſſe dicunt. Cùm verò à privatione totali ad habitum non detur regresſus; deinde notum ſit experimento, levi etiam calore vel ambuſtione ſeminificum characterem in ipſis ſeminibus aboleri; prætereaque in ipſa planta ipſe hic character non æquè reſideat vel reperiatur, quæ tamen (planta) ad ſal proliciendum comburi conſuevit; facilis eſt concluſio & indubitata, reſuſcitationem ejusmodi plantarum aut falſam omninò eſſe, aut tantùm apparentē. Vid. *Pharm. Wedelian. l. 2. ſ. 4. c. 4.*

XII. Ad *Suffitus* etiam adhibetur pæonia, de quibus capite octavo egimus.

XIII. *Emplaſtris* eadem utiliter admi-

miſcetur. Ita *Crato* ſequens emplaſtrum, ſemine pæoniæ decoratum, laudat in ipſo paroxiſmo epileptico, capiti raſo imponendum:

℞. Succini albi,
Thuris, Maſtich. ā ʒiß.
Galban. Opopanac. ā ℈j.
Viſc. quercin. ʒij.
Ambr. gryſ. gr. vj Moſchi gr. iij.
Sem. pæoniæ ʒß.
Ladani ʒiß.
Ol. nuc. moſchat. parum.
roſar. q. s. f. Emplaſtrum,
cui aſperge pulv. cubebar. & ſuturæ coronali applica.

Empaſtrum aliud epilepticum, radice & ſemine pæoniæ exaltatum, concinnat *Mynſichtus in Armam. Med. Chym. ſect. 35. p. 502.*

Emplaſtrum efficax contra dolores capitis graves & diuturnos, à cauſa frigida ortos, ita parabitur:

℞. Emplaſtr. de beton. ℥ij.
Pulv. rad. pæon. zedoar.
cyper. irid. Flor.
ſem. nigell. aneth.
caſtorei, ſuccini flav. ā ʒj.
Picis liquid. q. s. Miſce,
applicetur capiti raſo.

CA-

# CAPUT XII

## De
## Mediæ conſiſtentiæ præparatis medicamentis pæoniæ.

INter mediæ conſiſtentiæ medicamenta occurrit l. *Conſerva* pæoniæ, quæ paratur ex floribus recentibus minutiſſimè inciſis, & in mortario lapideo contuſis, quibus tantum ſacchari additur, quantum ad prohibendum ſitum vel mucorem ſatis eſt, hinc exponuntur ſoli in vaſe probè munito, & interdum agitantur.

Radices etiam mumiſari l. conſerviſari poſſunt, ſi recentisſimæ coquantur & conquaſſentur, vel per ſetaceum trajiciantur, & ſaccharo miſceantur.

Conſervam pæoniæ ⊖latam obtinebis, ſi addas ſpir. 🜍 l. ⊖li q. s. ad gratum acorem.

Bolum epilepſiæ adverſantem hunc præſcribit *Thiermajrius lib. 1. Conſ. Med. c. 3.*

℞. Conſerv. rad. pæon. q. s.
∴ ſuccin. gutt. vj.

Cran. human. præp. gr. xij.
Miſce.

II. *Electuaria*, ſive *Opiata* abuſivè ita vocata ſe ſiſtunt, quorum ingenti in numero præſtantiſſimum eſt electuarium ſpecificum epilepticum *Williſii, tract. de morb. convulſ. c. 3.* hôc modô deſcriptum.

℞. Conſerv. fl. pæon. maris,
lilior. convall. ā ℥iij.
Pulv. ſem. & rad. pæon. maris
ā ʒij.
Corall. præp. Margarit. pulv.
Cran. human. præp. ā ℈ij.
⊖ viſc. querc. ʒiß.
M. c. ſ. q. ſir. è corall. f. Electuarium.
Capiatur manè & veſperi qu. nucis moſchatæ.

*Sanctorius* Mithridatium cum pulvere granorum paradiſi, & pæoniæ maris, ſæpè feliciter adhibuit in epilepſia.

*Montanus Centur. 2. Conſult. Med pag.* 58. bina electuaria ad uſum in epilepſia laudat, quorum unum recipit ſcillæ aſſatæ, & ſ. a. præp. ℥ij. pulv. ſem. pæon. ℥j. & mellis optim. col. & deſpumati ℔j. Alterum Mithridat. optim. ℥j. Sacch. roſat. ℥iij. Sem. pæon. ℥j. Raſur. cran. human. ʒvj. Sir. de cortic. citri q. s. pro Electuario.

Celebris eſt antidotus convulſiva, radice pæoniæ inſtructa, quæ deſcribitur à *Sennerto lib.1. Prax. part.2. c.31.*

Electuarium ex pæonia apprimè conveniens, epilepſiæ, & aliis morbis cephalicis, reperitur apud *Bertrucium Collector. Medicin. tract 1. ſect.1. c.8.*

Cerebrum confortantem opiatam eximiam ordinavit *Reuſnerus Obſerv. Med.30.*

Aliam in catarrhis deprædicat *Sennertus* locô allegatô. Aliam habet antimelancholicam *Timæus* von Güldenklee *Caſ. Med. lib. 1. c.14.*

Electuarii Patavini epileptici primarium ingrediens eſt radix pæoniæ, à *Thiermajrio* producti *lib.1. conſil. med. c.3.*

Nec omiſſa fuit pæonia in compoſitione theriacæ ſmaragdinæ Hiſpanorum, à *Zacuto Luſitano artic. 4. c.2. diſtinct. 6. pharm.* in medium allata, & à D. *de Maphæis*, Medico Electorali Bavarico, ita reformata:

℞. Smaragd. præp. ℥iij.
Hyacinth. præp. ℥ij.
Rad. pæon. Sem. ejusd.
Viſc. querc. ā ℥ij.
Croci ℥ß
Cinamomi, zedoar. ā ℥ij
Dictamn. Cret. Sem citr. ā ℥iij.

Sem. acetos. ℨj.
Raſur. unicorn. ebor ā ℨij.
Corall. rubr. præp. ℨiß.
Serici è purpura ℨij.
Sirup. de limon.
Mellis & Sacchar. ā q. s.
M. f. Electuarium molle.

III. *Linctus* ſive *Eclegmata* ſi deſiderentur, ea cum pæonia confici poſſunt. Tale infantibus in metu epilepſiæ exhibere jubet *Petrus à Caſtro lib. de Coloſtro, punct. 2.*

℞. Mellis roſat. ſacchar. ℥ß.
(Hoc autem paratur ex ſucco roſar. rubr. ℔iij. mell. & ſacchar. clarific. ā q.s. pro ſirupo, ſ. melle roſato ſaccharino.)
Ol. ſeſamin.
amygd. d. ſ. △. expreſſ. ā ℥ß.
Sacchar. canth. violat. ℨi.
Rad. pæon. d. t. coll. ℈ii.
(Hoc eſt, ☉ exiſtente in Leone, die & horâ ☉li dicata.) Miſce.

Loch ſive Eclegma leniens in partu dolorem, ipſumque partum facilem reddens, exhibet *Rodericus Caſtrenſis lib. 2. de morb. mul. c. 2.*

IV.

IV. *Conditum* radicis pæoniæ conficit, ſi radices benè mundatæ, & ſecundum longitudinem ſectæ aliquot dies macerentur in aqua frigida, aquam deplendo ſingulis diebus, & recentem affundendo: vel ſi coquantur, donec molleſcant, & deinde ſiccentur, cumque ſacchari anaticâ ferè proportione, tantilloque decocti proprii vel aquæ ad humiditatis conſumptionem, & ſirupi conſiſtentiam coquantur.

Conditas radices in humido aſſervatas retulimus huc, quia tàm molles fiunt, ut inter maſticandum quaſi in lingva ſolvi poſſint.

V. *Marmeladis* quibusdam placet addere pæoniam, qualem in morbis uterinis commendat *Mynſichtus in Armam. Med. Chym. ſ.12. p.214.*

VI. *Extractum* pæoniæ ſimplex confici poteſt, vel ex ſucco radicum expreſſo & depurato, vel ex decocto totius plantæ cum aqua ſimplici aut homogenea parato. Ingratius autem cum ſpiritu vini, propter empyreuma phlegmatis vini in extracto remanens, concinnabis.

Extractum compoſitum diapæonias *Mindereri* continetur in *Animadverſ. Zwelfferi in Diſpenſ. Auguſt. pag. 139.*

Extracto ſuo ſedativo generali *Cnöffelius* pæoniam inſerit, quod non ſolùm in

epilepſia, ſed & in mania, delirio, & aliis infirmitatibus cerebri commendat, & in *Ephem. Germ. Append. ad Ann. 6. & 7. pag. 61. 62.* juris publici factum eſt.

Similis efficaciæ extractum pæoniatum reperimus in libro jam allegato, *pag* 59.

Extractum ſpecificum uterinum cum pæonia magni æſtimatur à *Mynſichto, Armam. Med. Chym. pag. 69.*

Laudanum in caduco epileptico & hyſterico excellentiſſimum pæonia nobilitatum ita deſcribit D. D. *Iohrenius in Prax. Chym. c. 5.*

℞. Cran. hominis violentâ peremti morte ℥iß.
jecor. ranar. virid. exſicc. num. XL.
caſtorei, ſuccin.
gagat. ā ℥iij.
rad. pæon. ſole in libram ingreſſum faciente collect. ℥ij.
ſem. pæon.
viſc. querc. ā ℥j.
flor. pæon.
tiliæ ā Mj.
ſantal. rubr. citr.
croc. Orient.
mumiæ ver. ā ℥j.
galang.

car-

cardamom. maj. & min.
macis ā ℥iij.

Pulveriſatis affunde ſpir. vin. & extrahe l. a. tincturam, quam filtra, & in Balneo M. evapora ad conſumtionem dimidiæ partis menſtrui, nunc admiſce

ſulph. ⊕li narcotic. ℥iij.

digere vaſe clauſo per 15 dies igne lento, poſt abſtrahe menſtruum ad mellaginem, ante ultimum verò evaporationis gradum antequam ſpiſſeſcant

ſal. corallor.
perlar. ā ℥j.
cinnabar. nativ. min.
cinnabar. ☿ij ā ℥ß.

in aqua cinamomi ſolut. admiſceantur, & longâ agitatione incorporentur.

Doſis à gr. vj. ad ℈ß.

Sulphur ⊕ narcoticum, medicamenti antecedentis ingrediens, à Nobiliſſ. *Iohrenio Prax. Chim. c. 1.* ita deſcribitur:

℞ Limatur. ♂tis part. j.
⊕li part. ij.

Affunde acetum deſtillatum, coque lentó igne, coagula & urge in arena ad incandeſcentiam, refrigeratis iterum affunde acetum, & extrahatur tinctura, poſtea inſtillato guttatim oleo ♀ præcipitabitur ♀ ⊕li anodynum, quod bene abluendum propter ſalem ⊕li vomitumcientem.

VII. *Linimentum* reſolvens & diſcutiens materiam impactam morbificam in paralyſi ſcorbutica, pæoniam recipiens, commendatur à D. D. *Dravvitzio, lib. de ſcorb. dolorif. tit.3. pag. 174.*

℞. Rad. pæon. galang. ā ℥iij.
ſummit. ſalv. hyſſopi,
beton. ā pij.
flor. chamæmel. Rom.
pæon ā piij.
fol. origan. rut. recent. ā M ß.
baccar. laur. juniper. ā ℥iij.
caſtorei ʒiß.
Inciſa & contuſa coq. in ol. lumbricor.
℔ß.
vini ℥iij. ut vinum exhalet. adde
ol. nuc. moſch. expreſs. ʒij.
ſuccini, roſmarin. ā ℈j. M.

*Quercetanus* in hoc linimento ſuo capur purgio noluit etiam præterire pæoniam.

℞. Pulv. flor. calendulæ,
lavend. tiliæ ā ʒj.
fol. ſenæ,
ſem. pæoniæ, nigell.
ſiler. montan. ā ʒß.
caſtor. ℈j.
hellebor. ʒj.
piperis gr. vj.
lign. aloes ℈ß.

mo-

moſchi, ambræ ã gr. vj.
℥ terebinth. & ceræ q s. ad fingendum linimentum.

De hoc parum digito minimo inde in profundiſſimum narium locum, & optatos in purgando cerebro effectus videbis. Eſt quoque aptiſſimum remedium ad vertigines, epilepſias, & ad ipſum repurgandum in infantibus, ad hæc mala proclivibus, cerebrum, quod acidis & ſeroſis humoribus plerumque obſidetur, ex quibus commemorata mala originem ducunt.

Linimentum ſequens caput roborans in apoplexia præſcribit *Sennertus lib. 1. Prax. pag. 675.*

℞. Extr. rutæ ʒj.
pæon. ℈j.
℥ nuc. moſch. expreſs. ʒß.
deſtill. gutt. vij.
rutæ,
fœnic. ã ℈ß.
ſuccini gutt. v. Miſce.

VIII. *Unguenta* denique ad varios affeus ingreditur pæonia. Ungventum ad dolores capitis à cauſa calida & frigidâ tale optimum eſt:

℞. Alabaſtr. in ✝ macerat, ʒjß.

Succi rad. pæoniæ
althex
herb. verben.
flor. roſar. ā ℥j.
Ol. chamæmel.
roſar. ā ℥iij.
cum cera alba f. Ungventum.
cui add. opii Thebaic. ℈j.
Hoc fronti & temporibus chartâ bibulâ applicetur.

# CAPUT XIII

## De
## Doſi & vehiculis medicamentorum ex pæonia.

VAriat doſis pro varietate medicamentorum ex ea concinnatorum.

Aqua deſtillata ſimplex exhibetur ab ℥j. ad ℥iij. vel ultra. Eadem doſis obſervatur in infuſis, decoctis, potionibus, claretis, julapiis, & liquidis ſimilibus. Doſis compoſitarum, & cum vino vel ſpiritu vini deſtillatarum aquarum dimidii, aut unius alteriusve cochlearis capacitatem æquat. Spiritus volatiliores & penetrantiores, ut & tincturæ & eſſentiæ, item elixiria & mixturæ ſaturatiores à ℈ß. ad ℈ij. vel ʒj. ad ſummum

mum propinantur. Morſuli, rotulæ, trochiſci, ſimilesq́ue confectiones ad placidum accipiuntur. Pilularum ℈ß. l. ℈j. & ʒß. ſufficiunt. Pulvis radicis vel ſeminis pæoniæ ſimpliciter præparatus à ℈j. ad ʒj. vel ʒij. præbetur. Pulverum compoſitorum diſpenſatio prudentis medici relinquitur arbitrio, nunc enim infantibus, nunc adultis robuſtis, nunc delicatioribus ſunt exhibendi. Hodiè doſin eorum propter nauſeam ultra ʒj. vix extendere licebit. Feculæ & ſalia dantur à ℈ß ad ʒß. & ʒj. Conſervæ, electuaria & eclegmata pro lubitu ſumuntur. Extracta à granis v ad xxx adminiſtrantur, & ſi cum opio parata fuerint, in minori ſubſiſtitur doſi

Vehicula quod concernit, ea conſtituunt juſcula carnium calida, cereviſia, vinum, niſi calor p. n. id impediat; item lac & pulmenta, præſertim in infantibus. Exhiberi quoque poſſunt pæoniata medicamenta in aquis deſtillatis, ſirupis, emulſionibus, aliisve gratis, & morbis convenientibus medicamentis.

## CAPUT XIV.

### Invectiva in pæoniæ vires diluitur.

Non

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0109-7

NOn deſunt, in dubium qui vocant, imò negant antepilepticam pæoniæ virtutem, tanti à plerisque Medicis autoribus claſſicis æſtimatam.

*Smetius Miſcell. lib. 2. c. 33.* ait: ſi poſteriorum ætatum experientia verum comperiſſet, quod de pæoniæ radice *Galenus* ſcripſit, meritò magni æſtimanda foret. At nullus eorum, qui periculum ejus fecerunt, multum de tanta hujus radicis vi & potentia gloriatur.

*Idem* recentes pæoniæ radices, easque veras & legitimas, præmiſſis evacuantibus per alvum & urinas, adhibitis etiam inunctionibus, comitialibus omnis ferè ætatis collo appendi juſſit, eos tamen nec citius, nec melius aliis, quibus nihil de collo ſuſpenſum fuit, à ſe curatos fuiſſe teſtatur. Unde prorſus in ea eſt ſententia, ſi peculiari quadam vi proſit hæc radix comitialibus, perparum prodeſſe: nec niſi vacuato corpore vim hanc exerere poſſe: addit etiam, de collo ſuſpenſæ minus confidendum eſſe, niſi aliter juvet, quam Galenus crediſiſſe videtur.

Cui ſe adſociat *Petr. Hoffmannus*, Galeni noſtri, inquiens, pæoniæ de collo pueri epileptici aliquoties appenſæ, ut fidem haberem, hactenus mihi nemo perſvaſit.

ſit. Vid. *Ciſt. Med. Hornung. epiſt. 205. pag. 386.*

*Mercurialis* dicit: Nunquam vidi aliquem quicquam beneficii à radice pæoniæ habuiſſe. Hinc eam tempeſtate noſtrâ aut amiſſam, aut eò munere nos indignos eſſe judicat.

Eandem querimoniam habet *Caſp. à Reies, Camp. Elyſ. jucund. quæſt. pag. 256.* ubi leguntur hæc verba: ego nullam, aut contemnendam vim in hac radice expertus ſum.

*Ioh. Crato à Krafftheim, conſil. med. 28.* ſcribit, de pæonia noſtra quid ſperare debeamus, cùm fœminam tantùm habeamus, facilè eſt exiſtimare.

Excell. D. *Ludovici Pharmac. pag. 616.* tradit: Ipſa pæoniæ tùm maris tùm fœminæ, etiam ad ſuperſtitionem usque collecta radix, (in taleolis) appenſa, pulverata, decocta, condita, imò deſtillata quoque, quantoperè expectationem curativè fallat, hinc inde non ſine tædio obſervamus.

Alios experimentum *Galeni* de hac radice adeò offendit, ut incantationis illud inſimulent. Vid. *Hoffm. lib. 2. med. off. c. 167. Simon. Pauli Quadripart. botan. claſs. 2. pag. 106.*

Pace

Pace verò horum graviſſimorum virorum dixiſſe liceat, habent pæoniæ utriusque ſpecies eandem facultatem eximiam, ſemperque fuerunt, & adhuc etiam ſunt in uſu adverſus epilepſiam: nec virtus in amuleto periit hodiè, quamvis unus vel alter experientiâ ſuâ id, quod *Galenus* & alii de radice recenti ſcripſerunt, non obſervaverint. Hujus ſententiæ eſt *Ioh. Bapt. Sylvaticus in Gal. Hiſt.14.* Nobiſcum etiam faciunt *Oribaſius, Serapio, Paulus.* Nec deſunt illuſtrium virorum ſuprà c.8. adductorum, aliorumque experimenta certiſſima.

Audiamus inſuper *Zacutum Luſitanum*, qui *lib.1. de med. princip. hiſtor. pag. 38.* ſcribit, antepilepticam vim pæoniæ non eſſe in dubium vocandam, eò quòd infiniti hoc morbô correpti ab hoc amuleto non fuerint adjuti; aſſeritq; tàm marem, quàm fœminam tùm tenellis, tùm adultis variâ formâ exhibitam plurimum pro curatione & præſervatione prodeſſe.

Siquis verò, cur auxilium hoc tàm ſæpè decipiat medicos, cauſam inquirat? eam nos dicimus eſſe radicem, quæ vel tempore ſuo balſamico non colligitur, vel vetuſta nimis & arida in uſum trahitur: aut impedimento eſt vehementia cauſæ morbificæ, cui natura debilis impar eſt reſiſtere: aut obſtat mor-

morbus hæreditarius & inveteratus : hæc autem mala non facilè ad votum medentis cedere aut moveri, eò quòd tacitô & diuturnô conamine ſedem ſibi confirmaverint, certa res eſt. Ætas hominum adulta ſupereſt, quæ multis de cauſis etiam remedii hujus operationem retardare poteſt, cui tamen aliquo modo etiam conducere non negabimus, licet non tantum, ut ætati nuper natorum, de quibus hoc maximè *Galenum* intellexiſſe cum *Aëtio* & aliis teſtatur *Sylvaticus* l. d.

Si quæratur ulterius, utrum ſuſpenſa pæonia collo ſola ab epilepſia poſſit liberare, an verò ex mente *Smetii* opus ſit prius aliqua corporis purgatione? Dicendum erit, pueris grandioribus & adultis in epilepſia conſenſuali omninò prius convenire corporis purgationem, cùm ita ſæpè removeatur latens in abdomine mali fomes, ſive turma lumbicorum, ſive ſaburra pravorum humorum is fuerit. In nuper natis verò puerulis, ob imbecillitatem corporis haud tutum erit quidpiam catharticis moliri, niſi papaverculum diutius retentum, & hinc in deterius corruptum, autor fuerit epilepſiæ.

Aliàs poteſt ad epilepſiæ exſtirpationem ſatis eſſe, ſi recens natis infantibus non vehementer convulſis, recens pæoniæ radix de

de collo ſuſpendatur, & nonnihil de hac intrò iisdem, vel nutricibus ſuis exhibeatur, ita enim humida puſionum corpuſcula non tàm exſiccabuntur, quàm acrius atque ſpumaſcens ſerum in ipſis corrigetur, quemadmodum ſupra dictum fuit.

Cùm igitur pæonia interius & exterius adhibita, ex ſe tàm laudabiles producat effectus, nefas fuerit, tales adſcribere præſtigiis, ac illi detrahere dignitatem. Quid enim præſtigiis cum vera medicina commercii? Nimirum

Vana ſuperſtitio procul hinc, magiciq; ſuſurri.

Atque ſic hiſtoriam pæoniæ levi penicillo adumbraſſe ſufficiat. Errata CANDIDUS LECTOR humana judicet, nobisque ignoſcat & faveat.

*DEO TER SANCTO SIT LAUS HONOR ET GLORIA IN ÆTERNUM.*

IN-

# INDEX.


## A.

*Abrus quid dicatur?* Pag. 11.
*Aceti encomium.* 70.
*Acetum bonum vermiculis caret.* 71.
*Acetum pæoniæ.* 69.
*ex ſucco.* 70.
*ad Affect. hypochondr. pæonia valet.* 33.
*Aglaophotis.* 6.
*Alcali pæoniæ fixum.* 92.
*Amuleta pæoniata.* 42. 48.
*Anodyna pæonia.* 24.
*Anthelmintica pæon.* 25.
*Antidotus* παιωνία. 4.
*Apophlegmatumorum uſus.* 78.
*ad Apoplexiam pæon.* 28.
*Aquæ compoſ. variæ pæon.* 52.
*Aqua cocta antepilept. Thierm.* 72.
*epileptica Mœbii.* 52.
*pæoniæ ſimplex.* 51.
*ad Arthritidem pæon.* 34.
*ad Aſthma pæon.* 30.

## B.

*Balnea antepileptica.* 45
*contra ſteril. mulierum.* 46.
*Baaras quid ſit?* 6. 11.
*quomodo olim acquiſierint?* 81.
*unde dicatur?* 6.
Been graas. 2.
*Bolus antepilept. Thiermajrii.* 95.

## C.

*ad Cachexiam pæonia.* 32.
*ad Calculum ren. & veſicæ pæon.* 35.
*ad Catarrhos pæon.* 29.
*ad Cephalalgiam pæon.* 27.
*ad Cordis affectus pæon.* 31.
*Cereviſia pæoniata.* 68.
*Cherſæ pæoniæ.* 89.
*Claretum antepilept. Mich.* 68.
*in caduco purg. Brunneri.* 66.
*pæoniæ.* 66.

Clyſter in epilepſia. 79.
Conditum rad. pæoniæ. 99.
Confectio ſaccharata pæon. 80.
Conſerva flor. paoniae. 95.
rad. pæon. 95.
⊖lata. 95.
Cynoſpaſtus. 6.

D.

Dæmones ad infligendos morbos mediis utuntur naturalibus 47
Dæmones ab hominibus mediis expelluntur naturalibus 49
Δάκτυλος Ἰδαῖος. 5
Decoctum ad nervorum læſiones Barbette. 71
pæoniæ. 71
Diaphoreſin &
Diureſin promovet pæon. 24
ad Dolores in partu & poſt partum pæon. 37
Doſes medicam. pæoniat. 104
Dulciſida. 5
ad Dyſenteriam pæon. 32

E.

Eclegma in metu epilepſiæ Petri à Caſtro. 98
Elæoſaccharum pæoniæ. 90
Electuaria abuſivè dicuntur opiata. 96
ad Epilepſ. Montani 9
Electuar. ſpecif. epilept. Williſii 96
Elixiria pæoniata varia 60
Elixir bezoardicum Mœbii. 62
uterinum Wedelii 61
Emplaſtrum contra dolores capitis 94
epilepticum Cratonis 94
Emulſio antepilept. Bovvitzii 74
Michael 73. 74
ſeminis pæoniæ 73
Ephialtia cur dicatur pæonia? 6
ad Epilepſiam pæonia 27
Errhinum pæoniatum 78
Eſſentiæ paeoniatæ variæ 58. 59
Eſſentia pæon. comp. ceph. Cnöff. 59
Extractum paeoniæ 99

F.

ad Febres intermittentes paeon. 26

ma-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0116-2

malignas paeon. 26
petechiales paeon. 26
Feculæ paeoniæ. 88
an viribus deſtituantur 89
Fleiſchfarbene Patönge 10
Fœtum confortat pæonia 37

G.

Galeni hiſtoria de puero epileptico paeoniæ amuleto curato. 38
Gichtroſe 7
Ginge quid dicatur? 11
Glycyſis. Glycyſida 5
Glycyſula. 5.

H.

Hæmorrhagiam narium ſiſtit ab extra radix pæoniæ 48
Herba Indica mirè animalium oſſa roborans 2
Herba oſſifraga ubi naſcatur 2
Hydromel pæon. 69
ad Hypochondriorum inflationes pæon. 32.

I.

Jacæ arboris radix quibus affectibus ſuccurrat? 2
ad Icterum pæonia valet 33
ad Ictus animal. venenat. appenſa radix pæon. 48
ad Incubum pæon. 28
ad Inflationes hypochondr. pæon. 32
ad Inflationes ventris pæon. 32
Inſeſſus in menſium ſuppreſſ. 80
Iulapium antepilept. Thiermajrii. 75
antiſpaſmodicũ Williſii. 75.

L.

Laudanum in caduco epileptico Iobrenii. 100
ad Lethargum pæon. 28
Linctus in metu epilepſiæ 98
Linimentum caput purg. Querc. 102
cephalicum Rolf. 103
contra cicatrices à variolis relict. Foreſti 46
in paral. ſcorb. Dravv. 102
ad Lipothymiam pæon. 28
Liquor antiſpaſmod. Williſii 77
Lithontriptica eſt pæonia 25

*Lixiviæ cephalica* 44
*Lunaris ſ. Lunaria.* 6.

M.

*Magiſterium pæoniæ* 91
*Magiſterus cur præferantur præparata?* 90
*ad Malaciam pæonia* 31
*ad Maniam pæon.* 29
*ad Melancholiam pæon.* 29
*Menagoga eſt pæonia* 11. 25. 36
*Mixtura antiſpaſmodica* 78
*Morſuli pæoniati* 81
*ad Morſus venen. animal. radix appenſa pæon.* 48
*Mulſum pæoniæ.* 67.

N.

*Nigellaſtri radix in hæmorrhagia narium proficua* 1
*Nyctegretum Plinii* 11

O.

*Oleum amygd. d. deſtill.* 64
*craſſum rad. pæon.* 64
*Heraclinum* 64
*pæon. æthereum ſ. vol.* 64
*pæoniæ coctum* 63
*pæoniæ expreſſ.* 62
*Riverianum contra tormina à partu* 63
*ſem. lini æthereum ſ. vol.* 64
*Oxymel pæoniæ.* 69.

P.

*Pæonia ars dicitur medica* 4
*Byzantina* 9
*calida eſt & ſicca* 20
*certa ſub conſtellatione colligitur* 17
*collo ſuſpenſa quibus & quomodo conducat* 41. 109. 110
*cum periculo colligebatur à veterib⁹* 15
*Pæoniæ definitio* 7
*differentiæ* 8
*duæ ſpecies* 8. 9
*qualitates occultæ an dentur?* 25
*Pæonia ex albido flore* 10
*flore albo* 10
*ſimplici.* 8. 9
*Pæonia Hiſpanica* 10
*hodiè quovis tempore tutò effoditur* 19
*Indica vulgi* 11
*in hortis noſtris plantatur* 15. 16
*leucanthemos* 11


*maſcu-*

maſcula vera quæ ſit? 12
menſe Majo floret 17
naſcitur in montibus altiſſimis umbroſis 14
neutra 13
non eſt fraxinella ſ. dictamnus alb. 13
noſtra Germana cum veteri convenit 22
ochranthemos 10
Pannonia ſ. Vngaria dicitur 4
polyanthos 10
promiſcua 9
pumila 10
quando colligenda 16
quænam eligenda? 20
ubi conſervanda? 20
unde dicatur? 3
Pæoniæ vires 23. & ſeqq.
virtus antepileptica in amuleto 38
virtus hæc impugnatur 106
confirmatur 108
virtus eadem cur in multis ſe non exerat? 108
Παιωνία antidotus 4
Παιόνιον catapotium 4
ad Palpitationem cordis pæonia. 31
ad Partum difficilem pæon. 37
ad Paſſionem Iliacam pæon.
Patonge 7
Pediluvium in epilepſia 46
Peionie 7
Penoeſne 7
la Peonia 7
ad Peſtem pæon. 26
Pfingſtroſe 7
ad Picam pæon. 31
Pilulæ antepilept. Thierm. 83
Piœnen 7
Pionroſe 7
Pionen populi Indici 4
Piones populi Aſiatici 4
Pivoine 7
Pivvonka 7
Piſum Americanum non eſt pæonia 11
Pomum epilepticum Cnöffelii 84
Polygonum in fluxu hæmorrhoidali efficax 2
Potio antepilept. Sennerti 76

Potio contra calculum 36
Potio præſervans ab epilepſia Grülingii 75
Potio in tertiana & malignis febb. Rolfincii 76
Potio ad tormina alvi. 76
Pſyphedila quid ſit? 11
Pulvis contra cachexiam infant. Plateri 33
contra epilepſiam externus 43
Marchionis correctus Verzaſchæ 85
pectoralis Martini 31
pro cucupha epilepticus Primeroſii 88
ſpecificus ad vertiginem Iohrenii 87
Pulveres varii pæoniat. 85
Purgantia Dæmoniacis conferunt. 49.

R.

Radix pæoniæ deſtillata per ſe ex retorta quid fundat? 21
Reſuſcitatio plantarum ex cineribus an ſ poſſibilis ſit? 93
Roſa albandeira 7
albardera 7
del monte 7
Rotulæ pæoniatæ antepilepticæ Williſii. 81
Rotulæ in epilepſia hyſterica Roderici de Caſtro. 82.

S.

Sacculus contra epilepſiam appenſus Foreſti 39
Williſii 42
Sal pæon. eſſentiale ſ. volatile vulgi 92
Sal pæon. volatile verum quomodo fiat? 33
Sal pæoniæ fixum 92
cryſtallinum 92
Sambucus in ſalice naſcens appenſa epilepticis prodeſt 1
Schakaik 10
ad Scorbutum pæon. 33
Secretum in ſepilepſia Hertotdi. 89
Σελήνιον 5
Σεληνόγονον 5
Specificum cephalicum Michaëlis 89
Spiritus compoſ. ſepilepticus Cnöffelii 54
ex radice via ſicca deſtillatus 55

pæo-

*pæoniæ ſimplex* 53
*Succus pæoniæ expreſſus quomodo conſervetur?* 55
*Sulphur* ⊕*li anodynum Iohrenii* 101
*Suffitus quomodo juvent* 47
*contra ſterilitatē* 47
*Suffumigia antepileptica* 46. 47
*ad Suffocationem hypochondriacam pæon.* 37
*ad Suffocationem uterinam pæon.* 37
*ad Syncopen pæon.* 31
*Syrupus pæoniæ* 72

T.

*Tabellæ antepileptica Wilſii* 81
*Tartarus pæoniæ cryſtallinus* 92
*Theriaca ſmaragdina* 97
*Tinctura antepileptica compoſ. Deckeri* 57
*Tinctura flor. pæon. aliæq;* 56
*Topica antepileptica quomodo agant?* 44
*ad Tormina in partu & poſt partum pæon.* 37
*ad Tormina ventris paeon.* 32
*Trochiſci Maſticatorii Rolfincii* 82
*ad Tuſſim pæon.* 29. 30

V.

*ad Variolas pæon.* 26.
*Vehicula medicamentorum pæoniatorum* 104. 105
*ad Ventris inflationes pæon.* 32
*Verbenæ collo appenſae virtus in dolore capitis* 1
*ad Vermes paeon.* 34
*ad Vertiginem paeon.* 27
*Vinum antepilepticū Querc.* 65
*antipodagricum Grülingii* 66
*paeoniatum* 65
*purgans in epilepſia Mich.* 66
*Ungventum ad dolores capitis* 103
*Ungventum ad epilepſiam Bauhini* 43
*ad Uteri dolores paeon.* 37.

FINIS.

***

## *Sphalmata mutanda & corrigenda.*

Pag.1. l.2. lege amœnum. pag 5. l.16. lege item. pag.6. l.28. lege ſint. pag.20. l.22. lege ſiccum. pag.25. l.19. lege quibus non tantùm geniti in corpore lumbrici necantur, ſed etiam nova &c. pag.27. l.6. lege ſeri & ſanguinis acrimoniam. pag 27. l.29. lege è typhis tenellis cervi. pag.30. l.10. lege infantium pag.31. l.13. dele non. pag.33. l.1. pro ichores lege humores. pag.42. l.15. lege ſive. pag.66. l.22. lege ſarſaparill. pag.69. l.10. lege ad imitationem Querc. paratum. pag.72. l.21. lege florum. pag.75. l.16. lege doſis, pag.81. l.25. lege pro doſi concedatur. pag.98. l.24. lege looch. pag.103. l.25. lege affectus. pag.109. l.20. & 21. lege lumbricorum.

Reliqua Lector benignus & æqvus pro laudabili ſuâ humanitate emendabit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0123-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0124-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0125-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0126-7

Uf 1352

ULB Halle 3
005 136 679

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0127-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0128-8
DFG

NATOMIA

# ONIÆ,

IN QVA

LES ET QUA-
S PÆONIÆ, ITEM-
ARATIONES ET MEDI-
EX EA VARIA CUM
US ET USU AD PLURI-
UMANI CORPORIS
FECTUS EXHI-
BENTUR.

*Autore*

O AUGUSTINO
VVOLFFIO, Medic. Li-
cent. & Practico.

ARNSTETI,
HENRICI MEURERI,
M. DC. LXXX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-378254-p0129-8